

C A R M I N A

E T H I C A.

R. 10137

C A R M I N A

E T H I C A

EX DIVERSIS AUCTORIBUS

COLLEGIT

ANT. AUG. RENOUARD



P A R I S I I S

Apud editorem, via Apollinea, n. 25.

Typis PETRI DIDOT natu majoris.

III REIPUBLICÆ.

1795.

PUBLII SYRI MIMI

ET ALIORUM

SENTENTIAE.

---

## PUBLII SYRI

### VITAE,

EX PETRO CRINITO DESUMPTA.

**P**UBLIUS, natione Syrus, in scribendis mimis operam posuit, ac in magno pretio his temporibus habitus est, quibus M. Cicero et Nigidius Figulus perierunt, ut in latinis annalibus notatum. Referuntur ab Avieno dicteria quaedam Publii in quibus mira festivitas atque incredibilis comitas apparet. Julius Cæsar palam professus est sibi acceptiores fuisse Publii mimos quam Laberii, propter sententiarum gravitatem atque singularem elegantiam. Quocirca prælatus illi est, et in scena victor pronuntiatus. Cassius quoque Severus tantum concedebat publianis mimis, ut ejus carmen disertissimum vocaret. Neque illud omittendum est, quod idem Publius in ludis Cæsaris omnes illos longe superavit, qui carmen in scenam attulerint, in quorum numero Decius Laberius fuit. De obitu ipsius Publii nihil apud veteres legimus.



## L. A. SENECA, DE PUBLIO SYRO,

EPIST. VIII.

Quantum disertissimorum versuum inter mimos jacet! Quam multa Publii, non ex-calceatis, sed cothurnatis, dicenda sunt! Unum ejus versuum, qui ad philosophiam pertinet, et ad hanc partem quæ modo fuit in manibus, referam, quo negat fortuita in nostris habenda: \*

Alienum est omne, quidquid optando venit.

\* Imo et multa alia de Publio Syro in Senecæ epistolis et controversiarum libris occurrunt, quæ in batava editione anni 1708 sedulo collecta invenire est: ea vero tantum selegi quæ Publium lectori commendare poterant.

## A. G E L L I U S,

NOCT. ATTIC., L. XVII, C. XIV.

Publius mimos scriptitavit; dignusque habitus est qui suppar Laberio judicaretur. C. autem Cæsarem ita Laberii maledicentia et arrogantia offendebat, ut acceptiores et probatiores sibi esse Publii quam Laberii mimos prædicaret. Hujus Publii sententiæ feruntur pleræque lepidæ, et ad communem sermonum usum commendatissimæ, etc.

## MACROBIUS,

LIB. II SATURNAL. C. VII.

Publius natione Syrus, cum puer ad patronum domini esset adductus, promeruit eum non minus salibus et ingenio quam forma, etc. Ob hæc et alia manumissus et majore cura eruditus, cum mimos componeret, ingentique assensu in Italiæ oppidis agere cœpisset, productus Romæ, per Cæsaris ludos, omnes qui tunc scripta et operas suas in scenam locaverant provocavit, ut singuli secum posita invicem materia pro tempore contenderent: nec ullo recusante, superavit omnes; in queis et Laberium. Unde Cæsar arridens hoc modo pronuntiavit:

Favente tibi me victus es, Laberi, a Syro.

Statimque Publio palmam, et Laberio anulum aureum cum quingentis sestertiis dedit. Tunc Publius ad Laberium recedentem ait:

Quicum contendisti scriptor, hunc spectator subleva.

6 DE PUBLIO SYRO TEST.

Sed et Laberius, sequenti statim commisso-  
sione, mimo novo interjecit hos versus :

Non possunt primi esse omnes omni in tempore.  
Sammum ad gradum cum claritatis veneris,  
Consistes ægre, et citius quam ascendas, decides.  
Cecidi ego ; cadet qui sequitur : laus est publica.

DESID. ERASMUS,

CHIL. IV, CENT. V, N<sup>o</sup>. VI.

Omnes fere publicanas sententias video pro-  
verbiorum vice fuisse celebratas : nec injuria  
sane ; nihil enim illis fingi potest nec argu-  
tius nec jucundius.

---

PUBLII SYRI MIMI  
ET ALIORUM  
SENTENTIAE.

- A*n alio expectes alteri quod feceris.  
*Ab* amante lacrymis redimes iracundiam.  
*Absentem* ledit, cum ebrio qui litigat.  
*Ad* calamitatem quilibet rumor valet.  
*Ad* poenitendum properat, cito qui iudicat.  
*Ad* tristem partem strenua est suspicio.  
*Adulter* est uxoris amator acrior.  
*Ægre* reprendas quod sinas consuescere.  
*Æs* debitorem leve, grave inimicum, facit.  
*Ætas* cinædum celat, ætas indicat.  
*Aliena* homini ingenuo est acerba servitus.  
*Alienum* æs homini ingenuo est acerba servitus.  
*Alienum* est omne, quidquid optando evenit.  
*Alienum* nobis, nostrum plus aliis placet.  
*Alterius* damnum gaudium haud facias tuum.  
*Amans* iratus multa mentitur sibi.  
*Amans*, ita ut fax, agitando ardescit magis.  
*Amans* quid cupiat scit; quid sapiat, non videt.  
*Amans* quod suspicatur vigilans somniat.

Amantis jusjurandum pœnam non habet.  
Amantium ira, amoris integratio est.  
Amare et sapere, vix a deo conceditur.  
Amare et sapere, vix deo conceditur.  
Amare juveni fructus est, crimen seni.  
Ames parentem si æquus est; si aliter, feras.  
Amicis eo magis dees quo nihil habes.  
Amicitia pares aut accipit, aut facit.  
Amicitia semper prodest, amor et nocet.  
Amicitiae coagulum unicum est fides.  
Amici vitia ni feras, facis tua.  
Amici vitia si feras, facis tua.  
Amici vitia noveris, non oderis.  
Amicum an nomen habeas, aperit calamitas.  
Amicum lædere, ne joco quidem, licet.  
Amicum perdere, est damnorum maximum.  
Amissum quod nescitur, non amittitur.  
Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur.  
Amor extorqueri non potest, elabi potest.  
Amori finem tempus, non animus, facit.  
Amoris vulnus idem, qui sanat, facit.  
Amor misceri cum timore non potest.  
Amor otiosæ causa solitudinis.  
Amor, ut lacryma, oculis oritur, in pectus cadit.  
A morte semper homines tantumdem absumus.  
Angusta capitur tutior in mensa cibus.  
Animo dolenti nihil oportet credere.  
Animo imperabit sapiens, stultus serviet.



Animo virum pudicæ, non oculo, eligunt.  
Animus æger turbæ præbet spectaculum.  
Animus hominis quidquid sibi imperat, obtinet.  
Animus, vereri qui scit, scit tuta ingredi.  
Annosus non diu vixit, diu fuit.  
Anus cum ludit, morti delicias facit.  
Aperte mala cum est mulier, tum demum est bona.  
Arcum intensio frangit, animum remissio.  
Ars non ea est quæ ad effectum casu venit.  
Aspicere oportet quidquid nolis perdere.  
Avaro quid mali optes nisi ut vivat diu?  
Avarum facile capias ubi non sis idem.  
Avarum irritat, non satiat, pecunia.  
Avarus animus nullo satiatur lucro.  
Avarus damno potius, quam sapiens, dolet.  
Avarus ipse miseræ causa est suæ.  
Avarus, nisi cum moritur, nil recte facit.  
Audendo virtus crescit, tardando timor.  
Aufferi et illud, quod dari potuit, potest.  
Avidum esse oportet neminem, minime senem.  
Aut amat aut odit mulier: nihil est tertium.  
Auxilia humilia firma consensus facit.  
  
Bene cogitata si excidunt, non occidunt.  
Bene dormit, qui non sentit quam male dormiat.  
Beneficia donari, aut mali aut stulti putant.  
Beneficia plura recipit qui scit reddere.  
Beneficium numquam, cito dati obliviscere.



Beneficium accipere, libertatem vendere est.  
Beneficium dando accipit, qui digno dedit.  
Beneficium dignis ubi des, omnes obliges.  
Beneficium qui dare nescit, injuste petit.  
Beneficium qui dedisse se dicit, petit.  
Beneficium sæpe dare, docere est reddere.  
Bene perdis gaudium, ubi dolor pariter perit.  
Bene perdit nummos, judici cum dat nocens.  
Bene vixit is, qui potuit, cum voluit, mori.  
Benevolus animus, maxima est cognatio.  
Bene vulgo audire est alterum patrimonium.  
Benignus etiam dandi causam cogitat.  
Bis emori est, alterius arbitrio emori.  
Bis est gratum, quod opus est, ultro si offeras.  
Bis interimitur, qui suis armis perit.  
Bis peccas cum peccanti obsequium accommodas.  
Bis vincit qui se vincit in victoria.  
Blanditiæ, non imperio, fit dulcis Venus.  
Bona comparat præsidia misericordia.  
Bona fama in tenebris proprium splendorem obtinet.  
Bona, imperante animo, fiet pecunia.  
Bona homini mors est, vitæ quæ extinguit mala.  
Bona homini mors est, animi quæ extinguit mala.  
Bona mors est omnis, vitæ quæ extinguit mala.  
Bona nemini hora est, ut non alicui sit mala.  
Bona optatio hominum tutior pecunia est.  
Bona quæ veniunt, nisi sustineantur, opprimunt.  
Bonarum rerum consuetudo pessima est.

Bona turpitude quæ periculum vindicat.  
Boni est viri etiam in morte nullum fallere.  
Bonis nocet quisquis pepercerit malis.  
Bonitatis verba imitari, malitia major est.  
Bono justitiæ proxima est severitas.  
Bonorum crimen est officiosus miser.  
Bonum ad virum cito moritur iracundia.  
Bonum est etiam bona verba inimicis reddere.  
Bonum est fugienda aspicere in alieno malo.  
Bonum quidem supprimitur, nequam extinguitur.  
Bonum quod est, si premitur, nequaquam extinguitur.  
Bonus animus læsus gravius multo irascitur.  
Bonus animus numquam erranti obsequium accommodat.  
Brevis ipsa vita est; sed malis fit longior.  
Brevis mens ipsa est memoria iracundiæ.

Cæci sunt oculi cum animus alias res agit.  
Caret periclo, qui, etiam cum est tutus, cavet.  
Casta ad virum matrona parendo imperat.  
Causam quem sæpe transit, aliquando invenit.  
Cave amicum credas nisi quem probaveris.  
Cavendi nulla est dimittenda occasio.  
Cave ne quidquam incipias, quod post pœniteat.  
Cicatrix conscientiæ pro vulnere est.  
Citius venit periculum cum contemnitur.  
Cito ficta ad naturam recident suam.  
Cito ignominia fit superbi gloria.  
Cito improborum læta ad perniciem cadunt.

Civilis belli oblivio, defensio est.  
Cogas amantem irasci, amari si velis.  
Comes facundus in via pro vehiculo est.  
Conjunctio animi maxima est cognatio.  
Conscientiæ potius quam famæ attenderis.  
Considera quid dicas, non quid cogites.  
Consilio melius vincas quam iracundia.  
Consilium inveniunt multi, sed docti explicant.  
Consueta vitia ferimus, non reprehendimus.  
Consueta vitia ferimus, nova reprehendimus.  
Contemni levius, quam stultitia percuti.  
Contemni levius stultitiæ est, quam percuti.  
Contemni sapientiæ gravius est, quam percuti.  
Contemni sapienti gravius est, quam stulto percuti.  
Contra felicem vix Deus vires habet.  
Contra impudentem stulta est nimia ingenuitas.  
Crimen relinquit vitæ, qui mortem appetit.  
Crudelem medicum intemperans æger facit.  
Crudelis est in re adversa objurgatio.  
Crudelis est, non fortis, qui infantem necat.  
Crudelis lacrymis pascitur, non frangitur.  
Cui nolis sæpe irasci, irascaris semel.  
Cui omnes benedicunt, possidet populi bona.  
Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet.  
Cui semper dederis, ubi negas, rapere imperas.  
Cuivis dolori remedium est patientia.  
Cuivis potest accidere quod cuiquam potest.  
Cum aures, non sapias; aut cum sapias, non ames.

Cum das avaro præmium , ut noceat rogas.

Cum inimico nemo in gratiam tuto redit.

Cum vitia prosunt , peccat qui recte facit.

Damnare est , objurgare cum auxilio est opus.

Damnati lingua vocem habet , vim non habet.

Dammum appellandum est , cum mala fama lucrum.

Dammum , nisi ex abundantia , raro venit.

Dati bonum quod potuit , auferri potest.

De inimico ne loquaris male , sed cogites.

Deliberando discitur sapientia.

Deliberando sæpe perit occasio.

Deliberandum est diu , cum statuendum est semel.

Deliberare utilia , mora tutissima est.

Demens est quisquis præstat errori fidem.

Deos ridere credo , cum felix vocat.

Despicere oportet quod possis deperdere.

Didicere flere fœminæ in mendacium.

Dies quod donat , timeas ; cito raptum venit.

Dives quod donat , timeas ; cito raptum venit.

Difficilem oportet autem habere ad crimina.

Dimissum quod nescitur , non amittitur.

Discipulus est prioris posterior dies.

Discordia fit carior concordia.

Discute quod audias omne , quod credas proba.

Diu apparandum est bellum , ut vincas celerius.

Dolor animi gravior est quam corporis dolor.

Dolor decrescit , ubi , quo crescat , non habet.



Ducis in consilio posita est virtus militum.  
Dulce etiam fugias quod fieri amarum potest.  
Dum vita grata est, mortis conditio optima est.

Effugere cupiditatem, regnum est vincere.  
Eget minus mortalis, quo minus cupit.  
Eheu! quam miserum est fieri metuendo senem!  
Eodem animo beneficium debetur, quo datur.  
Eripere telum, non dare irato, decet.  
Est cupiditati et ipsa tarda celeritas.  
Est socia mortis homini vita ingloria.  
Est turba semper argumentum pessimi.  
Et calamitas virtutis est occasio.  
Et deest et superest miseris cogitatio.  
Etiam bonum sæpius obest adsuescere.  
Etiam capillus unus habet umbram suam.  
Etiam celeritas in desiderio mora est.  
Etiam hosti est æquus, qui habet in consilio fidem.  
Etiam innocentes cogit mentiri dolor.  
Etiam in peccato recte præstatur fides.  
Etiam oblivisci quid sis, interdum expedit.  
Etiam oblivisci quod scis, interdum expedit.  
Etiam qui faciunt, oderunt injuriam.  
Etiam sanato vulnere cicatrix manet.  
Etiam tyrannus vix precario imperat.  
Et miseriarum portus est patientia.  
Excelsis multo facilius casus nocet.  
Exeritur opere nequitia, non incipit.

Ex hominum questu facta fortuna est dea.  
Exigua pars est vitæ quam nos vivimus.  
Exilium patitur, patriæ qui se denegat.  
Ex lite amantum gratia fit formosior.  
Ex lite multa gratia fit formosior.  
Ex præmii spe laboris fit solatium.  
Extrema semper de antefactis judicant.  
Ex vitio alterius sapiens emendat suum.

Facilitas animi ad partem stultitiæ rapit.  
Facilius crescit, quam inchoatur, dignitas.  
Facit gratum fortuna, quem nemo videt.  
Factum tacendo, crimen facias acrius.  
Falsum maledictum, malevolum mendacium est.  
Famam curant multi, pauci conscientiam.  
Fatetur facinus is qui iudicium fugit.  
Felicitas infelici innocentia est.  
Felicitas nutrix est iracundiæ.  
Felix improbitas optimorum est calamitas.  
Feras facilia, ut difficilia perferas.  
Fer difficilia, facilia levius perferes.  
Fer difficilia, ut et facilia perferas.  
Feras, non culpes, quod mutari non potest.  
Feras quod lædit, ut et id quod prodest feras.  
Fidem nemo umquam perdit, nisi qui non habet.  
Fidem qui perdit, perdere ultra nil potest.  
Fidem qui perdit, quo se servat reliquo?  
Fides, ut anima, unde abiit, eo numquam redit.



Formosa facies , muta commendatio est.  
Fortuna cum blanditur , captatum venit.  
Fortuna jus in hominis mores non habet.  
Fortuna magna , magna domino est servitus.  
Fortunam citius reperias quam retineas.  
Fortunam citius vel rapias , quam retineas.  
Fortuna nimium quem fovet , stultum facit.  
Fortuna nos vincit , nisi tota vincitur.  
Fortuna nulli plus quam consilium valet.  
Fortuna obesse nulli contenta est semel.  
Fortuna plus homini quam consilium valet.  
Fortuna quo se , eodem et inclinat favor.  
Fortuna vitrea est ; tum , cum splendet , frangitur.  
Fortuna unde aliquid fregit , cassum penitus est.  
Fortuna usu dat multa , mancipio nihil.  
Fraus est accipere quod non possis reddere.  
Frequens vindicta paucorum odium reprimit.  
Frugalitas inserta est rumoris boni.  
Frugalitas miseria est rumoris boni.  
Frustra rogatur qui misereri non potest.  
Furor fit læsa sæpius patientia.  
Futura pugnant ne se superari sinant.  
  
Geminat peccatum , quem delicti non pudet.  
Gemitus dolores indicat , non vindicat.  
Gratum facit fortuna , cui nemo invidet.  
Grave crimen , etiam cum leviter dictum est , nocet.  
Grave iudicium est , quod præiudicium non habet.

Grave præjudicium est quod iudicium non habet.  
Gravis animi pœna est, quem post facti pœnitet.  
Gravis animus dubiam non habet sententiam.  
Gravior est inimicus qui latet in pectore.  
Graviora quædam sunt remedia periculis.  
Gravissima est probi hominis iracundia.  
Gravissimum est imperium consuetudinis.  
Gravius malum omne est, quod sub aspectu latet.  
Gravius nocet, quodcumque inexpertum accidit.

Habent locum maledicti crebræ nuptiæ.  
Habet suum venenum blanda oratio.  
Heredem ferre honestius est, quam quærere.  
Heredem scire utilius est, quam quærere.  
Heredis fletus sub persona risus est.  
Heu! quam conscientia animi gravis est servitus!  
Heu! quam difficilis gloriæ custodia est!  
Heu! quam est timendus qui mori tutum putat!  
Heu! quam miser est qui in tormento vocem haud habet!  
Hominem etiam frugi flectit sæpe occasio.  
Hominem experiri multa, paupertas jubet.  
Homini consilium tunc deest, cum multa invenit.  
Homo extra corpus est suum, cum irascitur.  
Homo nescit si dolore fortunam invenit.  
Homo ne sit sine dolore, fortunam invenit.  
Homo semper in os fert aliud, aliud cogitat.  
Homo toties moritur, quoties amittit suos.  
Homo vitæ commodatus, non donatus est.

Honesta lex est temporis necessitas.  
Honeste parcas improbo, ut parcas probo.  
Honeste servit, qui succumbit tempori.  
Honestus rumor alterum est patrimonium.  
Honos honestum decorat, inhonestum notat.  
Humanitatis optima est certatio.

Jacet omnis virtus, fama nisi late patet.  
Ibi potest valere populus, ubi leges valent.  
Ibi semper est victoria, ubi concordia est.  
Id agas, tuo te merito ne quis oderit.  
Ignis probat aurum, miseræ fortem probant.  
Ignis suum calorem etiam in ferro tenet.  
Ignoscere hominum est, nisi pudet cui ignoscitur.  
Ignoscere hominum est, ubi pudet cui ignoscitur.  
Ignoscito sæpe alteri, numquam tibi.  
Illo nocens se damnat, quo peccat, die.  
Imperium habere vis magnum? impera tibi.  
Imprudens peccat, quem post facti pœnitet.  
Impune in eum pecces, qui peccat rarior.  
In amore forma plus valet, quam autoritas.  
In amore semper causa damni quæritur.  
In amore semper mendax iracundia est.  
In calamitoso, risus etiam injuria est.  
Incertus animus remedium est sapientiæ.  
Inertia est laboris excusatio.  
Inertia judicatur, cum fugitur labor.  
Infelici innocentia est felicitas.

Inferior horret, quidquid peccat superior.  
Inferior rescit, quidquid peccat superior.  
Infirmi animi est, non posse divitias pati.  
Ingenuitas non recipit contumeliam.  
Ingenuitatem lædis, cum indignum rogas.  
Ingenuus animus non fert vocis verbera.  
Ingrata sunt beneficia, queis comes metus.  
Ingratus unus omnibus miseris nocet.  
Inimici ad animum nullæ conveniunt preces.  
Inimico extincto, exitium lacrymæ non habent.  
Inimico ignosci, vitam accipere est alteram.  
Inimicum-ulcisci, vitam accipere est alteram.  
Inimicum, quamvis humilem, docti est metuere.  
In judicando criminosa est celeritas.  
In vindicando criminosa est celeritas.  
Injuriam aures quam oculi facilius ferunt.  
Injuriam facilius facias, quam feras.  
Injuriam ipse facias, ubi non vindices.  
Injuriarum remedium est oblivio.  
In misera vita, etiam contumelia est.  
In miseri vita, vita contumelia est.  
In miseri vitia, nulla contumelia est.  
In misero facile fit potens injuria.  
In nullum avarus bonus est; in se pessimus.  
Inopiæ desunt pauca, avaritiæ omnia.  
Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.  
In rebus dubiis plurimi est audacia.  
Insanus omnis furere credit ceteros.



Instructa inopia est, in divitiis cupiditas.  
Intellige equæ sint, ut et bene agas, bona.  
In turpi re peccare, his delinquere est.  
In venere semper certat dolor et gaudium.  
In venere semper dulcis est dementia.  
Invidia loquitur id quod obest, non quod subest.  
Invidiam ferre aut fortis aut felix potest.  
Invidia tacite, sed inimice, irascitur.  
Invitat culpam, qui delictum præterit.  
Invitum cum retineas, exire incitas.  
Iratum breviter vites, inimicum diu.  
Iratum cum ad se redit, sibi tum irascitur.  
Iratum etiam facinus consilium putat.  
Iratum nil non criminis loquitur loco.  
Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.  
Ita amicum habeas, posse inimicum fieri ut putes.  
Ita crede amico, ne sit inimico locus.  
Iter est, quacumque dat prior vestigium.  
Jucunda macula est ex inimici sanguine.  
Jucundum nihil est, nisi quod reficit varietas.  
Judex damnatur, cum nocens absolvitur.  
Jus omne supra omnem positum est injuriam.  
  
Læso doloris remedium, inimici dolor.  
Lapsus semel, fit culpa, si iterum cecideris.  
Lascivia et laus numquam habent concordiam.  
Late lucere ignis, ut nihil urat, potest.  
Laus nova nisi oritur, etiam vetus amittitur.

Legem nocens veretur, fortunam innocens.  
Legem solet obliviscier iracundia.  
Levis est fortuna; cito reposcit quod dedit.  
Lex videt iratum, iratus legem non videt.  
Lex universa est, quæ jubet nasci et mori.  
Libido cunctos etiam sub vultu domat.  
Libido indicium est ejus quod levitas sapit.  
Libido, non judicium est, quod levitas sapit.  
Licentiam des linguæ, cum verum petas.  
Lingua est mali loquax mentis indicium malæ.  
Locis remotis qui latet, lex est sibi.  
Loco ignominie est apud indignum dignitas.  
Longinquum est omne quod cupiditas flagitat.  
Lucrum sine damno alterius fieri non potest.  
Luxurie desunt multa, avaritiae omnia.

Mage fidus heres nascitur, quam scribitur.  
Mage valet, qui nescit calamitas quid valet.  
Magnam fortunam magnus etiam animus decet.  
Magnanimo injurie remedium oblivio est.  
Magnum crimen secum affert indignatio.  
Mala causa est quæ requirit misericordiam.  
Malæ naturæ numquam doctore indigent.  
Mala est medicina ubi aliquid naturæ perit.  
Mala est voluntas ad alienum consuescere.  
Mala est voluptas alienis adsuescere.  
Mala mors necessitatis contumelia est.  
Malam rem cum velis, honestatem improbes.



Maledictum interpretando facies acrius.  
Male facere qui vult, numquam non causam invenit.  
Male facere qui vult, nusquam non causam invenit.  
Male geritur, quidquid geritur fortunæ fide.  
Male imperando, summum imperium amittitur.  
Male secum agit æger, medicum qui hæredem facit.  
Male vincit is quem poenitet victoriæ.  
Male vivet, quisquis nesciet mori bene.  
Male vivunt, qui se semper victuros putant.  
Malevolus animus abditos dentes habet.  
Malevolus semper sua natura vescitur.  
Malignos fieri maxime ingrati docent.  
Malitia unius cito fit maledictum omnium.  
Malitia, ut peior veniat, se simulat bonam.  
Malo etiam parcas, si una est periturus bonus.  
Malo in consilio sceminae vincunt viros.  
Malum alienum ne feceris tuum gaudium.  
Malum consilium consultori pessimum est.  
Malum est consilium quod mutari non potest.  
Malus animus in secreto pejus cogitat.  
Malus bonum numquam ad se consilium refert.  
Malus bonum ubi se simulat, tunc est pessimus.  
Malus est vocandus, qui sua causa est bonus.  
Malus etsi obesse non potest, tamen cogitat.  
Malus quicumque in poena est, præsidium est bonis.  
Manifesta causa secum habet sententiam.  
Mansueta tutiora sunt, sed serviunt.  
Medicina calamitatis est æquanimitas.

Medicina sola miseriarum, oblivio.  
Meretrix est instrumentum contumeliæ.  
Metuendum semper est ei quod tatum velis.  
Metum respicere non solet quidquid iuvat.  
Metus cum venit, rarum habet somnus locum.  
Metus improbos compescit, non clementia.  
Minimum eripit fortuna, cui minimum dedit.  
Minus decipitur, cui negatur celeriter.  
Minus est quam servus, dominus qui servos timet.  
Minus sæpe pecces, si scias quid nescias.  
Misera est voluptas, ubi periculi memoria est.  
Miser dici bonus vir, esse non potest.  
Miseriam nescire propriam, sine periculo est vivere.  
Miseri est, nescire sine periculo vivere.  
Misericors civis patriæ est consolatio.  
Miserrima est fortuna quæ inimico caret.  
Miserrima est fortuna quæ inimicos latet.  
Miserrimum est alterius arbitrio vivere.  
Miserum est tacere cogi, quod cupias loqui.  
Miserum te iudico, quod numquam fueris miser.  
Mora cogitationis diligentia est.  
Mora omnis odio est, sed facit sapientiam.  
Mori est felicis antequam mortem invocet.  
Mori necesse est, sed non quoties volueris.  
Mortem timere crudelius est quam mori.  
Mortem ubi contempnas, omnes viceris metus.  
Muliebris lacryma condimentum malitiæ est.  
Mulier cum sola cogitat, male cogitat.

- Mulier quæ multis nubit, multis non placet.  
 Multa ante tempus, quam virum invenias bonum.  
 Multa ignoscendo fit potens potentior.  
 Multis minatur, qui uni facit, injuriam.  
 Multis placere quæ cupit, culpam capit.  
 Multorum calamitate vir moritur bonus.  
 Multos timere debet, quem multi timent.  
 Muneribus, non lacrymis, meretrix est misericors.  
 Mutat se bonitas, irritata injuria.  
  
 Naturam abscondit, cum recte improbus facit.  
 Necesse est multos timeat, quem multi timent.  
 Necessitas ab homine, quæ vult, impetrat.  
 Necessitas dat legem, non ipsa accipit.  
 Necessitas egentem mendacem facit.  
 Necessitas quam pertinax regnum tenet.  
 Necessitas quod celat, frustra quæritur.  
 Necessitas quod poscit, nisi das, eripit.  
 Necessitatem ferre, non flere, addecet.  
 Necessitati quodlibet telum utile est.  
 Necessitati sapiens nihil unquam negat.  
 Necessitatis est remedium parcitas.  
 Nec mortem effugere quisquam, nec amorem, potest.  
 Nec vita, nec fortuna, hominibus perpes est.  
 Negandi causa avaro numquam deficit.  
 Negata est magnis sceleribus semper fides.  
 Negat sibi ipse, qui, quod difficile est, petit.  
 Nemo immature moritur, qui moritur miser.

Nemo ita pauper vivit, quam pauper natus est.  
Nemo qui cœpit ex se, risum præbuit.  
Nemo timendo ad summum pervenit locum.  
Nequitia, pœna maxima ipsamet sui est.  
Nescio quid cogitat, cum bonum imitatur malus.  
Nihil agere semper infelici est optimum.  
Nil aliud scit necessitas, quam vincere.  
Nil eripit fortuna, nisi quod et dedit.  
Nil est miserius, quam ubi pudet quod feceris.  
Nil magis amat cupiditas, quam quod non licet.  
Nil non acerbum prius quam maturum fuit.  
Nil non aut lenit, aut domat, diuturnitas.  
Nil peccent oculi, si oculis animus imperet.  
Nil posse quemquam, mortuum est hoc vivere.  
Nil proprium ducas, quod mutari potest.  
Nil turpe ducas, pro salutis remedio.  
Nil turpius, quam vivere incipiens senex.  
Nil turpius, quam vivere insipiens senex.  
Nimium altercando veritas amittitur.  
Nimium est in morte boni, si nil inest mali.  
Nisi per te sapias, frustra sapientem audias.  
Nisi qui scit facere, insidias nescit metuere.  
Nisi vindices delicta, improbitatem adjuves.  
Nocens precatur, innocens irascitur.  
Nocentem qui defendit, sibi crimen parit.  
Nocere casus non solet constantiæ.  
Nocere posse, et nolle, laus amplissima est.  
Noli contemnere ea quæ summos sublevant.



Non cito ruina perit is qui ruinam timet.  
Non corrigit, sed lædit, qui invitum regit.  
Non est beatus, esse qui se non putat.  
Non est bonitas, esse meliorem pessimo.  
Non est cicatrix turpis quam virtus parit.  
Non est pusillum, si quid maximo est minus.  
Non est tuum, fortuna quod fecit tuum.  
Non facile de innocente crimen fugitur.  
Non facile solus serves quod multis placet.  
Non novit virtus calamitati cedere.  
Non potest non sapere, qui se stultum intelligit.  
Non quam multis placeas, sed qualibus, stude.  
Non semper aurem facilem habet felicitas.  
Non vincitur, sed vincit, qui cedit suis.  
Nulla hominum major pœna est, quam infelicitas.  
Nulli facilius quam malo invenies parem.  
Nulli impones, quod ipse ferre non queas.  
Nullo in loco male audit misericordia.  
Nullum sine auctoramento est magnum malum.  
Nullum sine teste putaveris suo locum.  
Nullus sapientum proditori creditit.  
Nullus tantus quæstus, quam quod habes parcere.  
Numquam facilius culpa, quam in turba, latet.  
Numquam non miser est, qui, quod timeat, cogitat.  
Numquam periculum sine periculo vincitur.  
Numquam satis est, quod improbæ spei datur.  
Numquam segura est prava conscientia.  
Numquam ubi diu fuit ignis, deficit vapor.

Obsequium nuptæ cito fit odium pellicis.  
Occasio ægre offertur, facile amittitur.  
Occasio receptus difficiles habet.  
Occidi pulchrum, ubi cum ignominia servias.  
Odia, alia sub vultu, alia sub osculo, latent.  
Officium benevoli animi finem non habet.  
Omnes æquo animo parent, digni ubi imperant.  
Omne vitium semper habet patrocinium suum.  
Omnis dies velut ultimus ordinandus est.  
Omnis voluptas, quemcumque arrisit, nocet.  
O pessimum periculum quod opertum latet!  
O tacitum tormentum animi conscientia!  
O vita misero longa, felici brevis!

Paratæ lacrymæ insidias, non fletum, indicant.  
Parens iratus in se est crudelissimus.  
Parere scire, par imperio gloria est.  
Pars beneficii est, quod petitur, si belle neges.  
Pars beneficii est, quod petitur, si cito neges.  
Parvo fames constat, magno fastidium.  
Patiendo multa veniunt, quæ nequeas pati.  
Patiens et fortis seipsum felicem facit.  
Patiens in adversis numquam est felicitas.  
Patientia animi divitias occultas habet.  
Patria tua est, ubicumque vixeris bene.  
Paucorum est intelligere, quid cui det Deus.  
Paucorum improbitas, universis calamitas.  
Peccare pauci nolunt, nulli nesciunt.



Peccatum amici, velut tuum, recte putes.  
Peccatum extenuat, qui celeriter corrigit.  
Pecuniæ oportet imperes, non servias.  
Pecunia una regimen rerum est omnium.  
Pejora multa cogitat mutus dolor.  
Pejora querulo cogitat mutus dolor.  
Perdendi fidem nemo, nisi egestas, facit.  
Perdit non donat, qui donat, nisi est memor.  
Perenne conjugium animus, non corpus, facit.  
Pereundi scire tempus, assidue est mori.  
Perfacile felix, quod vota impetrant, facit.  
Perfugere ad inferiorem, seipsum est tradere.  
Pericula qui audet, ante vincit, quam accipit.  
Pericula timidus, etiam quæ non sunt, videt.  
Perpetuo vincit qui utitur clementia.  
Per quæ sis tutus, illa semper cogites.  
Plerique metu boni, non innocentia.  
Plures regit fortuna, quam tutos facit.  
Plus est quam pœna, injuriæ succumbere.  
Plus est quam pœna, sine re miserum vivere.  
Pœna ad malum serpens, ut proterat, venit.  
Pœna allevatur tunc, ubi laxatur dolor.  
Pœnam moratur improbus, non præterit.  
Populi est mancipium quisquis patriæ est utilis.  
Post calamitatem memoria, alia est calamitas.  
Potens misericors, publica est felicitas.  
Potenti irasci, sibi periculum est quærere.  
Potest non esse honestum, quod non liberum est.

Præsens est semper, qui absens etiam ulciscitur.  
Prius negare, post fecisse, fallere est.  
Probi delicta iudex legens deterit.  
Probo beneficium qui dat, ex parte accipit.  
Probo bona fama, maxima est hereditas.  
Probus libertus sine natura est filius.  
Prodesse qui vult, nec potest, æque est miser.  
Prodest, quicumque obesse non vult, cum potest.  
Pro dominis peccare, etiam virtutis loco est.  
Pro medicina dolor est, dolorem qui necat.  
Prope est libens ut damnet, qui damnat cito.  
Prope est non æque ut damnet, qui damnat nimis.  
Properare in iudicando, est crimen quærere.  
Prospicere in pace oportet quid bellum juvet.  
Prudenti stultus etiam sermonis jocus est.  
Pudor dimissus numquam redit in gratiam.  
Pudor doceri non potest, nasci potest.  
Pudorem alienum qui eripit, perdit suum.  
Pudorem habere, servitus quodammodo est.  
Pudor quemcumque non flectit, frangat timor.  
Pulchrum est præstare cuncta, nihil exigere.  
Pupillus est avarus ætatis brevis.  
Pupillus hominis avidi erit ætatis brevis.  
Puras Deus, non plenas, aspicit manus.

Quæ vult videri bella nimis, nulli negat.  
Quam felix vita, quæ sine negotiis transit!  
Quam magnum est non laudari, et esse laudabilem!

Quam malus est, culpam qui suam alterius facit!  
Quam miser est, cui ingrata misericordia est!  
Quam miser est, qui excusare sibi se non potest!  
Quam miserum auxilium est, ubi nocet quod sustinet!  
Quam miserum est, bene quod feceris, factum queri!  
Quam miserum est, cogi opprimere quem salvum velis!  
Quam miserum est, cum se renovat consumptum malum!  
Quam miserum est id, quod pauci habent, amittere!  
Quam miserum est mortem cupere, nec posse emori!  
Quam miserum est, ubi consilium casu vincitur!  
Quam miserum est, ubi te capiant qui defenderint!  
Quam miserum est, ubi te captant qui defenderint!  
Quam miserum officium est, quod successum non habet!  
Quam poenitenda incurrunt viventi diu!  
Quam saepe veniam, qui negaverat, petit!  
Quam timidus is est paupertatem qui timet!  
Quamvis acerbis qui monet, nulli nocet.  
Quamvis non rectum, quod juvat rectum putas.  
Quemcumque quaerit calamitas, facile invenit.  
Quem diligas, etiam queri de ipso malum est.  
Quem fama semel oppressit, vix restituitur.  
Qui æquo malis animo miscetur, est malus.  
Qui bene dissimulat, citius inimico nocet.  
Qui culpæ ignoscit uni, suadet pluribus.  
Qui, cum dolet, blanditur, post tempus sapit.  
Quidam inimici graves, amici sunt leves.  
Qui debet, lamen creditoris non amat.  
Quid est beneficium dare? imitari Deum.

Quid ipse sis , non quid habearis , interest.  
Qui docte servit , partem dominatus tenet.  
Quidquid bono concedis , das partem tibi.  
Quidquid conaris , quo pervenias , cogites.  
Quidquid sit cum virtute , sit cum gloria.  
Quidquid fortuna exornat , cito contemnitur.  
Quidquid futurum est summum , ab imo nascitur.  
Quidquid nocere didicit , meminit cum potest.  
Quid quisque possit , nisi tentato nesciit.  
Quid tibi pecunia opus est , si ea uti non potes ?  
Qui dubitat ulcisci , improbos plures facit.  
Quieta vita iis qui tollunt meum , tuum.  
Qui in vero dubitat , male agit cum deliberat.  
Qui invitus servit , fit miser , servit tamen.  
Qui iusjurandam servat , quovis pervenit.  
Qui metuit calamitatem , rarius accipit.  
Qui pote celare vitium , vitium non facit.  
Qui pote consilium fugere , sapere idem potest.  
Qui pote nocere , timetur , cum etiam non adest.  
Qui pote nocere , timetur , cum etiam non nocet.  
Qui pote transferre amorem , pote deponere.  
Qui pro innocente dicit , satis est eloquens.  
Qui seipsum laudat , cito derisorem invenit.  
Qui sibi non vivit , merito aliis est mortuus.  
Qui sibi tantum vivit , merito aliis est mortuus.  
Quis miserum sciret , verba nisi haberet dolor ?  
Quis pauper est ? qui dives videtur sibi.  
Qui spectat ut rogetur , officium levat.



Quis plurimum habet? is qui omnium minimum cupit.  
Qui timet amicum, amicus ut timeat docet.  
Qui timet amicum, vim non novit nominis.  
Qui timet insidias omnes, nullas incidit.  
Qui venit ut noceat, semper meditatus venit.  
Quo cavet is, cum animus aliud, verba aliud petunt?  
Quod ætas vitium posuit, ætas auferet.  
Quodcumque animus sibi imperavit, obtinet.  
Quod est timendum, decipit si negligas.  
Quod facere turpe est, dicere honestum ne puta.  
Quod fugere credas, sæpe solet occurrere.  
Quod nescias cui serves, stultum est parcere.  
Quod nescias damnare, summa est temeritas.  
Quod perit, quæri pote, reprimi non potest.  
Quod quisque amat, laudando commendat sibi.  
Quod semper est paratum, non semper juvat.  
Quod senior loquitur, omnes consilium putant.  
Quod timeas, citius quam quod speres, evenit.  
Quod vitiosum est, quo animo facias, nihil interest.  
Quod vix contingit, vix voluptatem parit.  
Quod vult cupiditas cogitat, non quod decet.  
Quod vult habet, qui velle quod satis est potest.  
Quotidie damnatur qui semper timet.  
Quotidie est deterior posterior dies.

Rapere est, accipere quod non possis reddere.  
Rapere est, non petere quicquid invito auferas.  
Rarum esse oportet quod diu carum velis.

Ratione, non vi, vincenda adolescentia est.  
Refert quam quis bene vivat; quam diu, non refert.  
Regnat, non loquitur, qui nil, nisi quod vult, facit.  
Rei nulli prodest mora, nisi iracundiæ.  
Remedium, fraus est, contra flumen quærere.  
Remedium frustra est contra fulmen quærere.  
Repelli se homo facilius fert, quam decipi.  
Repente dives nemo factus est bonus.  
Res inquieta est in seipsam felicitas.  
Respicere nil consuevit iracundia.  
Res quanto est major, tanto est insidiosior.  
Revertere unde veneris, nihil grave est.  
Reus innocens fortunam, non testem, timet.  
Rex esse nolim, ut esse crudelis velim.  
Rivalitatem non amat victoria.  
Roganti melius quam imperanti pareas.  
Rogare ingenuo, servitus quodammodo est.  
Ruborem amico excutere, amicum est perdere.  
  
Sæpe ignoscendo, das injuriæ locum.  
Sæpe oculi et aures vulgi sunt testes mali.  
Salutis causa bene fit homini injuria.  
Sanctissimum est meminisse cui te debeas.  
Sapiens contra omnes arma fert, cum cogitat.  
Sapiens quod petitur, ubi tacet, breviter negat.  
Satis est beatus qui potest, cum vult, mori.  
Sat magna usura est pro beneficio memoria.  
Secreto amicos admone, lauda palam.

Secunda in paupertate fortuna est fides.  
Secundus est a matre, nutricis dolor.  
Se damnat iudex, innocentem qui opprimit.  
Seditio civium, hostium est occasio.  
Semper beatam se putat benignitas.  
Semper consilium tunc deest, cum opus maxime est.  
Semper metuendo, sapiens evitat malum.  
Semper metuendum quidquid irasci potest.  
Semper plus metuit animus ignotum malum.  
Semper redundat ipse in auctores timor.  
Sensus, non ætas, invenit sapientiam.  
Se posse plus iratus, quam possit, putat.  
Sero est, in periculis consilium quærere.  
Sibi ipsi dat supplicium, quem admissi pudet.  
Sibi ipsi improbitas cogit fieri injuriam.  
Sibi primum auxilium eripere est, leges tollere.  
Si nil velis timere, metuas omnia.  
Socias fit culpæ qui nocentem sublevat.  
Solatium grande est cum universo una rapi.  
Solet esse in dubiis, pro consilio, temeritas.  
Solet hora, quod multi anni abstulerint, reddere.  
Solet sequi laus, cum viam fecit labor.  
Sordidius multo vivinus, quam nascimur.  
Spes est salutis, ubi hominem objurgat pudor.  
Spes inopem, res avarum, mors miserum, levat.  
Spina etiam grata est, ex qua spectatur rosa.  
Stultitia est insectari quem omnes diligunt.  
Stultitiæ partem interdum habet felicitas.

Stulti timent fortunam, sapientes ferunt.  
Stultum est alium velle ulcisci poena sua.  
Stultum est queri de adversis, ubi poena est tua.  
Stultum est timere quod vitari non potest.  
Stultum est vicinum velle ulcisci incendio.  
Stultum facit fortuna quem vult perdere.  
Stultum imperare reliquis, qui nescit sibi.  
Suadere benevoli est primum, dein corrigere.  
Submissum imperium non tenet vires suas.  
Submittit se, quæ se erigit, felicitas.  
Suis qui nescit parcere, inimicis favet.  
Suspecta semper ornamenta ementibus.  
Suspicio sibi ipsa rivales parit.  
Suum sequitur lumen semper innocentia.

Tacere nescit idem qui nescit loqui.  
Taciturnitas stulto homini pro sapientia est.  
Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.  
Tandiu discendum est homini, quamdiu nesciat.  
Timidus vocat se cautum, parcam sordidus.  
Tormentum o dulce, æquo ubi reprimitur gaudium!  
Turpis inopia est, quæ nascitur de gloria.  
Tuta est jactura quæ fit negligentia.  
Tutissima res nihil timere præter Deum.

Ubi cœpit pauper divitem imitari, perit.  
Ubicumque pudor est, semper ibi sancta est fides.  
Ubi fata peccant, hominum consilia excidunt.



Ubi innocens formidat, damnat judicem.  
Ubi maxime gaudebis, metues maxime.  
Ubi omnis vita metus est, mors est optima.  
Ubi peccat ætas major, male discit minor.  
Ubi timetur, nil quod timetur, nascitur.  
Ulceræ animi sananda magis quam corporis.  
Unus dies pœnam affert, multi cogitant.  
Utumque casum aspicere debet, qui imperat.

Velox consilium sequitur pœnitentia.  
Verbum omne, refert in quam partem intelligas.  
Verum est quod pro salute fit mendacium.  
Verum cur non audimus? quia non dicimus.  
Veterem ferendo injuriam, invites novam.  
Veterem ferendo injuriam, vites novam.  
Vide si adhuc malus es, et similibus parce.  
Viri boni est nescire facere injuriam.  
Virtute quod non possis, blanditia auferas.  
Virtuti amorem nemo honeste denegat.  
Virtuti melius quam fortunæ creditur.  
Virtutis spolia cum videt, gaudet labor.  
Virtutis vultus partem habet victoriæ.  
Virum bonum natura, non ordo, facit.  
Vis omnibus esse notus? noris neminem.  
Vitium fuit, nunc mos est assentatio.  
Vix quisquam transit in bonum, nisi ex malo.  
Voluntas quem pudicum, non corpus, facit.  
Voluptas, e difficili data, dulcissima est.

Voluptas tacita, mage metus quam gaudium est.  
Vultu an natura sis sapiens, multum interest.

## TROCHAICI.

Aleator, quanto in arte est melior, tanto est nequior.  
Cui quid vindicandum est, omnis optima est occasio.  
Conscientia amici nullius linguæ invenit preces.  
Contumeliam nec ingenuus fert, nec fortis facit.  
Cujus mortem amici expectant, vitam cives oderunt.  
Cujus mortem expetunt cives, vitam oderunt.  
Difficile est dolori convenire cum sapientia.  
Dixeris maledicta cuncta, cum hominem ingratum dixeris.  
Duplex fit bonitas, si simul accesserit celeritas.  
Esse necesse est vitia minima maximorum maxima.  
Est beneficium eo carere quod invitus possides.  
Est honesta turpitudine pro bona causa mori.  
Expetit pœnas iratus ab alio, a seipso exigit.  
Exul is cui nusquam domus est, sine sepulcro est mortuus.  
Felix est, non qui videtur esse aliis, sed qui sibi.  
Fœminæ naturam regere, desipiscere omnino est.  
Fœminam maturam regere, desperare est omnino.  
Fœminarum curam gerere, desperare est omnium.  
Fortior est qui cupiditates suas, quam qui hostes, subjicit.  
Frustra, cum est ventum ad senectam, repetas adolescentiam.  
Fulmen est ubi cum potestate habitat iracundia.  
Habet in adversis auxilia qui in secundis commodat.  
Heu! dolor quam miser est qui in tormentis vocem non habet!

Heu ! quam miserum est ab eo lædi , de quo non ausis queri !  
Heu ! quam miserum est discere servire , ubi dominari doctus es !  
Heu ! quam multa pœnitenda incurrunt viventes diu !  
Homo , qui in homine calamitoso est misericors , meminit sui.  
Homo semper aliud fert in se , in alterum aliud cogitat.  
Improbe Neptunum accusat , qui iterum naufragium facit.  
In malis sperare bonum , nisi innocens , nemo solet.  
Inter amicos judicatur , quam inimicos , molestius.  
Ipsæ amicos res opimæ pariunt , adversæ probant.  
Iracundiam qui vincit , superat hostem maximum.  
Irritare est calamitatem , cum te felicem vocas.  
Ita habeas amicum , posse ut fieri inimicum putes.  
Mage cavenda est amicorum invidia , quam insidiæ hostium.  
Maximo periculo custoditur quod multis placet.  
Minime amicus sum , fortunæ particeps nisi sim tuæ.  
Mors infanti felix , juveni acerba , sera nimis seni.  
Mortuo munus qui mittit , nil dat illi ; adimit sibi.  
Næ virtutibus multis abundat , qui alienas amat.  
Neminem nec accusaveris , nec laudaveris cito.  
Nescias quid optes , aut quid fugias ; ita ludit dies.  
Nescit is nocere qui nocere velle perdidit.  
Ni gradus servetur , nulli tutus est summus locus.  
Nil prodest bene didicisse , facere si cesses bene.  
Nil rationis est , ubi res semel in affectum venit.  
Non aliter vives in solitudine , aliter in foro.  
Nondum felix es , si nondum turba te deriserit.  
Nulla , quæ multos amicos recipit , angusta est domus.  
Nulla tam bona est fortuna , de qua nil possis queri.



Nusquam melius morimur homines, quam ubi libenter viximus.  
Objurgare in calamitate, gravius est quam calamitas.  
Odio oportet ut peccandi facias, non metu, bonum.  
Omnes vitam differentes mors incerta prævenit.  
Optime positum est beneficium, ubi ejus meminit qui accipit.  
Optimum est sequi majores, recte si præcesserint.  
Pecunia est ancilla, si scis uti; si nescis, domina est.  
Plerique ubi aliis maledicunt, faciunt convicium sibi.  
Principium est discordiæ, ex communi facere proprium.  
Proximum tenet locum confessio innocentiae.  
Quanto serius peccatur, tanto incipitur turpius.  
Quem bono tenere non poteris, hunc teneas malo.  
Quidquid est plus quam necesse, possidentes deprimit.  
Quid refert quantum habeas? illud multo est plus, quod non habes.  
Regibus pejus est multo, quam ipsis servientibus.  
Res bona est non extirpare sceleratos, sed scelera.  
Ridiculum est odio nocentis perdere innocentiam.  
Sæpe dissimulare, quam vel ulcisci, satius fuit.  
Sæpius locutum, numquam me tacuisse poenitet.  
Semper vocis et silentii temperamentum tene.  
Sermo animi est imago: qualis vir, talis et oratio est.  
Si multis tua vita placuerit, tibi placere non potest.  
Sine dolore est vulnus, quod ferendum cum victoria.  
Si pares invitus, servus es; minister, si volens.  
Solitudinem quærat, qui vult cum innocentibus vivere.  
Tam crudelitas est, omnibus atque nulli ignoscere.  
Tam deest quod habet avaro, quam misero quod non habet.  
Thesaurum in sepulcro ponit, qui senem heredem facit.



Tolerabilior qui mori iubet, quam qui male vivere.  
Tolerabilior poena, haud posse, quam nescire vivere.  
Tuta saepe, numquam segura, mala conscientia est.  
Ubi sis cum tuis, et absis patria, eam desideres.  
Vita hominis brevis; ideo honesta mors est immortalitas.

DIONYSII CATONIS  
DISTICHA MORALIA

ET

BREVES SENTENTIAE.

---

JOSEPHUS SCALIGER

IN CATONIS DISTICHA.

QUISQUIS fuit ille qui disticha illa composuit, ita inscripsit illa, quia probitas Catonis vel proverbio omnibus nota erat. Probos enim homines, et moribus probatissimis, illis temporibus *Catonēs* vocatos, nemo ignorat. Notum *Tertius e caelo cecidit Cato*. Quid quod Cato major librum de moribus scripserat ad filium suum? hinc etiam potuit poeta ille gnomographus lemmatis causam expiscari, etc.

Hæc publiana, quamvis inter nugas theatrales jactata, tamen quid rectum, quid utile sit, juxta Horatium, melius Chrysippo et Crantore, dicunt. Itaque numquam illos de manibus deponant non pueri tantum, sed etiam doctiores: quod idem de Dionysii Catonis distichis dictum volo: meliora enim et latiniora, quibus animi teneri informentur dari non possunt.

DESID. ERASMUS,  
IN PRAEF. EDIT. BASILEENSIS  
ANNI 1526.

Cujus auctoris sit hoc opus, et utrum unius an plurium, non admodum referre puto. Catonis ob id tantum arbitror dici, quod sententias habeat Catone dignas.

Nihil ego fastidiendum duco quantumvis humile, quod ad bonas pertinet litteras, nedum hosce versus tanta romani sermonis munditie tamque ad bonos mores conducibiles. Quamquam cur me pudeat in hoc genere pauculas horas collocare, in quo non pauci scriptores græci non mediocri cum laude sunt versati?



---

DIONYSII CATONIS  
DISTICHA MORALIA

ET

BREVES SENTENTIAE.

---

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

CUM animadverterem quamplurimos homines errare graviter in via morum, succurrendum et consulendum opinioni eorum fore existimavi; maxime ut gloriose viverent, et honorem contingerent. Nunc te, fili carissime, docebo quo pacto morem animi tui componas. Igitur mea præcepta ita legito, ut intelligas; legere enim et non intelligere, nec legere est. Itaque:

I.

Deo supplica.

II.

Parentes ama.

I I I.

Cognatos cole.

I V.

Magistrum metue.

V.

Datum serva.

V I.

Foro pare.

V I I.

Cum bonis ambula.

V I I I.

Antequam voceris ad consilium, ne accesseris.

I X.

Mundus esto.

X.

Salutes libenter.

X I.

Majori cede.

X I I.

Minori parce.

X I I I.

Rem tuam custodi.

X I V.

Verecundiam serva.

X V.

Diligentiam adhibe.

X V I.

Libros lege.

X V I I.

Quæ legeris memento.

X V I I I.

Familiam cura.

X I X.

Blandus esto.

X X.

Irasci ab re noli.

X X I.

Neminem irriseris.

X X I I.

Mutuum dato.

X X I I I.

Cui des videto.

X X I V.

In iudicium adesto.

X X V.

Ad prætorium stato.

X X V I.

Convivare raro.

X X V I I.

Quod satis est, dormi.

X X V I I I.

Jusjurandum serva.

X X I X.

Vino te tempera.

X X X.

Pugna pro patria.

XXXI.

Nil temere credideris

XXXII.

Tu te consule.

XXXIII.

Meretricem fuge.

XXXIV.

Litteras disce.

XXXV.

Nihil mentire.

XXXVI.

Bonis benefacito.

XXXVII.

Maledicus ne esto.

XXXVIII.

Existimationem retine.

XXXIX.

Æquum judica.

XL.

Parentes patientia vince.

XLI.

Beneficii accepti memor esto.

XLII.

Miserum noli irridere.

XLIII.

Consultus esto.

XLIV.

Utere virtute.



X L V.

Iracundiam tempera.

X L V I.

Trocho lude.

X L V I I.

Aleam fuge.

X L V I I I.

Nihil arbitrio virium feceris.

X L I X.

Minorem ne contempseris.

L.

Aliena concupiscere noli.

L I.

Conjugem ama.

L I I.

Liberos erudi.

L I I I.

Patere legem quam ipse tuleris.

L I V.

Pauca in convivio loquere.

L V.

Illud stude agere quod justum est.

L V I.

Libenter amorem ferto.

## I.

*Deus præcipue colendus.*

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,  
Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

## I I.

*Somnolentia vitanda.*

Plus vigila semper, nec somno deditus esto :  
Nam diuturna quies vitiiis alimenta ministrat.

## I I I.

*Cohibenda lingua.*

Virtutem primam esse puta compescere linguam :  
Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.

## I V.

*Sibi ipsi conveniendum.*

Sperne repugnando tibi tu contrarius esse :  
Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse.

## V.

*Nemo temere culpandus.*

Si vitam inspicias hominum, si denique mores ;  
Cum culpant alios, nemo sine crimine vivit.

## V I.

*Utilitas divitiis anteponenda.*

Quæ nocitura tenes, quamvis sint cara, relinque ;  
Utilitas opibus præponi tempore debet.

## V I I.

*Mores pro tempore mutandi.*

Constans et lenis, ut res exoptulat, esto.  
Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.

V I I I.

*Uxori non semper assentiendum.*

Nil temere uxori de servis crede querenti :  
Sæpe etenim mulier, quem conjux diligit, odit.

I X.

*Amicum sapius moneas.*

Cumque mones aliquem, nec se velit ipse moneri,  
Si tibi sit carus, noli desistere ceptis.

X.

*Stulti verbis non vincuntur.*

Contra verbosos noli contendere verbis :  
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

X I.

*Amicus sibi quisque primus.*

Dilige sic alios, ut sis tibi carus amicus :  
Sic bonus esto bonis, ne te mala damna sequantur.

X I I.

*Rumores spargere vetitum.*

Rumores fuge, ne incipias novus auctor haberi :  
Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

X I I I.

*Fides aliena non promittenda.*

Spem tibi promissi certam promittere noli :  
Rara fides ideo est, quia multi multa loquuntur.

X I V.

*Judex quisque sit sui.*

Cum te aliquis laudat, judex tuus esse memento :  
Plus aliis de te, quam tu tibi, credere noli.

## X V.

*Laus tua non sit in ore tuo.*

Officium alterius multis narrare memento;  
Atque, aliis quantum benefeceris, ipse sileto.

## X V I.

*Senio bene gesta referenda.*

Multorum cum facta senex et dicta recenses,  
Fac tibi succurrant juvenis quæ feceris ipse.

## X V I I.

*Suspicionis labes.*

Ne cures, si quis tacito sermone loquatur:  
Conscijs ipse sibi de se putat omnia dici.

## X V I I I.

*In prosperis de adversis cogitandum.*

Cum fueris felix, quæ sunt adversa caveto;  
Non eodem cursu respondent ultima primis.

## X I X.

*Mors alterius numquam speranda.*

Cum dubia et fragilis sit nobis vita tributa,  
In morte alterius spem tu tibi ponere noli.

## X X.

*Animus in dono æstimandus.*

Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,  
Accipito placide, plene et laudare memento.

## X X I.

*Paupertas æquo animo toleranda.*

Infantem nudum cum te natura creavit,  
Paupertatis onus patienter ferre memento.



## X X I I.

*Anxie vivere non est vivere.*

Ne timeas illam quæ vitæ est ultima finis :  
Qui mortem metuit, quod vivit, perdit id ipsum.

## X X I I I.

*Amicorum ingratitude fugienda.*

Si tibi pro meritis nemo respondet amicus,  
Incusare Deum noli, sed te ipse coerce.

## X X I V.

*Frugalitas, virtus optima.*

Ne tibi quid desit, quæsisit utere parce :  
Utque, quod est, serves, semper tibi deesse putato.

## X X V.

*Promissio iterata, molesta.*

Quod præstare potes, ne bis promiseris ulli :  
Ne sis ventosus, dum vis bonus esse videri.

## X X V I.

*Ars arte deludenda.*

Qui simulat verbis, nec corde est fidus, amicus ;  
Tu quoque fac simile : sic ars deluditur arte.

## X X V I I.

*Blandiloquentia suspecta.*

Noli homines blando nimium sermone probare :  
Fistula dulce canit, volucrum dum decipit auceps.

## X X V I I I.

*Liberi artibus instruendi.*

Com tibi sint nati, nec opes ; tunc artibus illos  
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.

## X X I X.

*Res quomodo æstimandæ.*

Quod vile est, carum; quod carum, vile putato:  
Sic tibi nec cupidus, nec avarus nosceris ulli.

## X X X.

*Noli facere quod in aliis culpas.*

Quæ culpæ soles, ea tu ne feceris ipse:  
Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum.

## X X X I.

*Nil nisi justum petendum.*

Quod justum est, petito, vel quod videatur honestum;  
Nam stultum est petere quod possit jure negari.

## X X X I I.

*Nota ignotis præponenda.*

Ignotum tibi tu noli præponere notis:  
Cognita judicio constant, incognita casu.

## X X X I I I.

*Dies quisque supremus putandus.*

Cum dubia in certis versetur vita periculis,  
Pro lucro tibi pone diem, quocumque laboras.

## X X X I V.

*Obsequio alitur amicitia.*

Vincere cum possis, interdum cede sodali;  
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.

## X X X V.

*Amicitie mutua officia.*

Ne dubites, cum magna petas, impendere parva;  
His etenim rebus conjungit gratia caros.

XXXVI.

*Lites odit amicitia.*

Litem inferre cave cum quo tibi gratia juncta est :  
Ira odium generat , concordia nutrit amorem.

XXXVII.

*Sine ira castigandum.*

Servorum culpis cum te dolor urget in iram ,  
Ipse tibi moderare , tuis ut parcere possis.

XXXVIII.

*Patientia vincendum.*

Quem superare potes , interdum vince ferendo ;  
Maxima enim morum semper patientia virtus.

XXXIX.

*Quæsitæ sunt servanda.*

Conserva potius quæ sunt jam parta labore :  
Cum labor in damno est , crescit mortalis egestas.

XL.

*Consulendum sibi , et amicis.*

Dapsilis interdum notis , et carus amicis ,  
Cum fueris felix , semper tibi proximus esto.

---

DIONYSII CATONIS  
DISTICHA MORALIA.

---

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

TELLURIS si forte velis cognoscere cultus,  
Virgilium legito. Quod si mage nosse laboras  
Herbarum vires, Macer has tibi carmine dicet,  
Corporis ut cunctos possis depellere morbos.  
Si romana cupis et civica noscere bella,  
Lucanum quæras, qui Martis prælia dixit.  
Si quid amare libet, vel discere amare legendo,  
Nasonem petito. Sin autem cura tibi hæc est  
Ut sapiens vivas, audi quæ discere possis,  
Per quæ semotum vitii deducitur ævum.  
Ergo ades; et, quæ sit sapientia, disce legendo.

I.

*De omnibus bene merendum.*

Si potes, ignotis etiam prodesse memento:  
Utilius regno est, meritis acquirere amicos.



## I I.

*Arcana Dei non scrutanda.*

Mitte arcana Dei cœlumque inquirere quid sit :  
Cum sis mortalis, quæ sunt mortalia cura.

## I I I.

*Mortis timor vitæ gaudia pellit.*

Linque metum lethi ; nam stultum est tempore in omni,  
Dum mortem metuis , amittere gaudia vitæ.

## I V.

*Iracundia cavenda.*

Iratus de re incerta contendere noli :  
Impedit ira animum , ne possit cernere verum.

## V.

*Expendendum ubi opus est.*

Fac sumptum propere , cum res desiderat ipsa ;  
Dandum etenim est aliquid , cum tempus postulat aut res.

## V I.

*Fortuna modica tutior.*

Quod nimium est fugito , parvo gaudere memento.  
Tuta mage est puppis modico quæ flumine fertur.

## V I I.

*Occulta vitia celanda.*

Quod pudeat , socios prudens celare memento ;  
Ne plures culpent id quod tibi displicet uni.

## V I I I.

*Occulta tandem revelantur.*

Nolo putes pravos homines peccata lucrari ;  
Temporibus peccata latent , sed tempore parent.

I X.

*Corpore debilis sæpe viribus animi pollet.*  
Corporis exigui vires contemnere noli :  
Consilio pollet cui vim natura negavit.

X.

*Necessitati cedendum.*

Cui scieris non esse parem te, tempore cede :  
Victorem a victo superari sæpe videmus.

X I.

*Minima jurgia sedulo vitanda.*

Adversus notum noli contendere verbis ;  
Lis minimis verbis interdum maxima crescit.

X I I.

*Quid Deus statuerit, sorte non inquirendum.*

Quid Deus intendat, noli perquirere sorte ;  
Quid statuat de te, sine te deliberat ipse.

X I I I.

*Luxus invidiam parit.*

Invidiam nimio cultu vitare memento ;  
Quæ si non lædit, tamen hanc sufferre molestum est.

X I V.

*Animus non deponendus ob iniquum judicium.*

Esto animo forti, cum sis damnatus inique :  
Nemo diu gaudet, qui iudice vincit iniquo.

X V.

*Litis præteritæ noli meminisse.*

Litis præteritæ noli maledicta referre :  
Post inimicitias iram meminisse, malorum est.

## X V I.

*Te ipsum neque lauda, neque culpa.*  
 Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse.  
 Hoc faciunt stulti quos gloria vexat inanis.

## X V I I.

*Tempore longo parta subito labuntur.*  
 Utere quæsitis modice, cum sumptus abundat:  
 Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.

## X V I I I.

*Quando opus est, stultitiam simula.*  
 Insipiens esto, cum tempus postulat aut res;  
 Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.

## X I X.

*Nec prodigus sis, nec avarus.*  
 Luxuriam fugito, simul et vitare memento  
 Crimen avaritiæ; nam sunt contraria famæ.

## X X.

*Loquaci parum credendum.*  
 Noli tu quædam referenti credere semper.  
 Exigua est tribuenda fides, quia multa loquantur.

## X X I.

*Ebrius vinum non accuset.*  
 Quæ potus peccas, ignoscere tu tibi noli;  
 Nam crimen nullum vini est, sed culpa bibentis.

## X X I I.

*Ab amico consilia expetenda.*  
 Consilium arcanum tacito committe sodali:  
 Corporis auxilium medico committe fideli.



X X I I I.

*Successus malorum ne te offendat.*

Noli successus indignos ferre moleste;  
Indulget fortuna malis, ut lædere possit.

X X I V.

*Futuros casus providendos.*

Prospice, qui veniunt, hos casus esse ferendos;  
Nam levius lædit quidquid prævidimus ante.

X X V.

*Animus in adversis spe fovendus.*

Rebus in adversis animum submittere noli:  
Spem retine: spes una hominem nec morte relinquit.

X X V I.

*Occasio arripienda.*

Rem, tibi quam nosces aptam, dimittere noli:  
Fronte capillata, post est occasio calva.

X X V I I.

*Futura ex præteritis colligenda.*

Quod sequitur specta; quodque imminet ante, videto:  
Illum imitare deum partem qui spectat utramque.

X X V I I I.

*Noli voluptati nimium indulgere.*

Fortior ut valeas, interdum parcior esto:  
Pauca voluptati debentur, plura salutis.

X X I X.

*Multitudini cedendum.*

Judicium populi numquam contempseris unus,  
Ne nulli placeas dum vis contemnere multos.



(2) DIONYSII CATONIS DIST.

X X X.

*Valetudo curanda.*

Sit tibi præcipue, quod primum est, cura salutis;  
Tempora nec culpes, cum sis tibi causa doloris.

X X X I.

*Somnia non observanda.*

Somnia ne cures; nam mens humana quod optans,  
Dum vigilat, sperat, per somnum cernit id ipsum.

---

DIONYSII CATONIS  
DISTICHA MORALIA.

---

LIBER TERTIUS.

P R A E F A T I O.

Hoc quicumque velis carmen cognoscere, lector,  
Cum praecepta ferat, quae sunt gratissima vitae  
Commoda multa feres. Sin autem spreveris illud,  
Non me scriptorem, sed te neglexeris ipse.

I.

*Semper discendum.*

Instrue praeceptis animum, nec discere cesses;  
Nam sine doctrina vita est quasi mortis imago.

I I.

*Damna patienter ferenda.*

Fortunae damnis semper parere memento:  
Non opibus bona fama datur, sed moribus ipsis.

I I I.

*Recte agendo, malorum linguam ne timeas.*

Cum recte vivas, ne cures verba malorum;  
Arbitrii non est nostri, quid quisque loquatur.

## I V.

*Amici delictum celandum.*

Productus testis, salvo tamen ante pudore,  
Quantumcumque potes celato crimen amici.

## V.

*Blandiloquentia sit tibi suspecta.*

Sermones blandos blæsosque cavere memento.  
Simplicitas veri fama est; fraus ficta loquendi.

## V I.

*Ignava vita fugienda.*

Segnitiam fugito, quæ vitæ ignavia fertur;  
Nam, cum animus languet, consumit inertia corpus.

## V I I.

*Animus fessus relaxandus.*

Interpone tuis interdum gaudia curis,  
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.

## V I I I.

*Neminem malo animo reprehendas.*

Alterius dictum aut factum ne carpseris umquam,  
Exemplo simili ne te derideat alter.

## I X.

*Hereditas non disperdenda.*

Quod tibi sors dederit tabulis suprema notato,  
Augendo serva, ne sis quem fama loquatur.

## X.

*Senectus non sit parca.*

Cum tibi divitiæ superant in fine senectæ,  
Munificus facito vivas, non parcus amicis.

X I.

*Attendendum quid dicatur, non quis dicat.*  
 Utile consilium dominus ne despice servi :  
 Nullius sensum , si prodest, tempseris unquam.

X I I.

*Præsenti utendum fortuna.*  
 Rebus et in censu si non est quod fuit ante,  
 Fac vivas contentus eo quod tempora præbent.

X I I I.

*Uxor spe dotis non quærenda.*  
 Uxorem fuge ne ducas sub nomine dotis.  
 Ne retinere velis , si cœperit esse molesta.

X I V.

*Alieno sapias exemplo.*  
 Multorum disce exemplo quæ facta sequaris,  
 Quæ fugias. Vita est nobis aliena magistra.

X V.

*Nil ultra vires tentandum.*  
 Quod potes , id tentes , operis ne pondere pressus  
 Succumbat labor , et frustra tentata relinquas.

X V I.

*Consentire videtur qui tacet.*  
 Quod nosti haud recte factum, nolito tacere,  
 Ne videare malos imitari velle tacendo.

X V I I.

*Justus iudex legem iniquam temperat.*  
 Iudicis auxilium sub iniqua lege rogato :  
 Ipsæ etiam leges cupiunt ut jure regantur.



## X V I I I.

*Feras quæ tua culpa pateris.*

Quod merito pateris, patienter ferre memento :  
Cumque reus tibi sis, ipsum te iudice damna.

## X I X.

*Multa legenda, sed cum iudicio.*

Multa legas facito; perlectis, negligè multa;  
Nam miranda canunt, sed non credenda, poetæ.

## X X.

*Modeste in convivio loquendum.*

Inter convivas fac sis sermone modestus,  
Ne dicare loquax, dum vis urbanus haberi.

## X X I.

*Muliebris iracundia non formidanda.*

Conjugis iratæ noli tu verba timere;  
Nam lacrymis struit insidias, cum foemina plorat.

## X X I I.

*Quæsitis utendum, non abutendum.*

Utere quæsitis, sed ne videaris abuti:  
Qui sua consumunt, cum deest, aliena sequuntur.

## X X I I I.

*Mors numquam formidanda.*

Fac tibi proponas mortem non esse timendam;  
Quæ bona si non est, finis tamen illa malorum est.

## X X I V.

*Bona uxor, etsi loquax, ferenda.*

Uxoris linguam, si frugi est, ferre memento;  
Namque malum est non velle pati, nec posse tacere.

X X V.

*Sis pius erga parentes.*

Dilige non ægra caros pietate parentes :  
Nec matrem offendas , dum vis bonus esse parenti.

X X V I.

*Distichon idem , ut legitur in diversis  
editionibus.*

Diligito caros æqua pietate parentes :  
Nec matrem offendas , dum vis bonus esse parenti.

---

DIONYSII CATONIS  
DISTICHA MORALIA.

---

LIBER QUARTUS.

P R A E F A T I O.

SECURAM quicumque cupis perducere vitam,  
Nec vitis hærere animum quæ moribus obsunt,  
Hæc præcepta tibi semper relegenda memento;  
Invenies aliquid, quo te nitare magistro.

I.

*Divitiæ felicitatem non pariunt.*

Despice divitijs si vis animo esse beatus;  
Quas qui suspiciunt, mendicant semper, avari.

II.

*Sis parvo contentus.*

Commoda naturæ nullo tibi tempore deerunt,  
Si fueris contentus eo quod postulat usus.

III.

*Res ratione regenda.*

Cum sis incautus, nec rem ratione gubernes,  
Noli fortunam, quæ non est, dicere cæcam.

## I V.

*Sapiens propter usum pecuniam diligit.*  
 Dilige denari, sed parce dilige, formam :  
 Quem nemo sanctus nec honestus captat ab ære.

## V.

*In morbis ne opibus parcas.*  
 Cum fueris locuples, corpus curare memento :  
 Dives habet nummos, æger se non habet ipsum.

## V I.

*Castigatio paterna ferenda.*  
 Verbera cum tuleris discens aliquando magistri,  
 Fer patris ingenium, cum verbis exit in iram.

## V I I.

*Utilia agenda.*  
 Res age quæ prosunt; rursus vitare memento,  
 In quæ error inest, nec spes est certa laboris.

## V I I I.

*Quantum potes benefaciendum.*  
 Quod præstare potes gratis, ne vende roganti;  
 Nam recte fecisse bonis, in parte lucrorum est.

## I X.

*Suspicio statim expendenda.*  
 Quod tibi suspectum est, confestim discute quid sit :  
 Namque solent, primo quæ sunt neglecta, nocere.

## X.

*Cave ne duplices morbum tuum.*  
 Cum te detineat Veneris damnosa voluptas,  
 Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica est.



## X I.

*Homo malus, fera pessima.*

Cum tibi proponas animalia cuncta timere,  
Unum præcipio tibi plus hominem esse timendum.

## X I I.

*Si vis fortis esse, sapias.*

Cum tibi prævalidæ fuerint in corpore vires,  
Fac sapias; sic tu poteris vir fortis haberi.

## X I I I.

*Amicus, cordis medicus.*

Auxilium a notis petito, si forte laboras;  
Nec quisquam melior medicus, quam fidus amicus.

## X I V.

*Vita pura, sacrificium optimum.*

Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?  
Stultitia est morte alterius sperare salutem.

## X V.

*Amicus ex moribus deligendus.*

Cum tibi vel socium, vel fidum quæris amicum,  
Non tibi fortuna est hominis, sed vita, petenda.

## X V I.

*Avaritia vitanda.*

Utere quæsitis opibus: fuge nomen avari:  
Quo tibi divitias, si semper pauper abundas?

## X V I I.

*Voluptas inimica famæ.*

Si famam servare cupis, dum vivis, honestam,  
Fac fugias animo quæ sunt mala gaudia vitæ.

## XVIII.

*Senem, etiam delirum, ne irriseris.*

Cum sapias animo, noli ridere senectam;  
Nam quicumque senet, sensus puerilis in illo est.

## XIX.

*Opes fluxæ; ars perpetua.*

Disce aliquid; nam cum subito fortuna recessit,  
Ars remanet, vitamque hominis non deserit unquam.

## XX.

*Mores ex verbis cogniti.*

Perspicio tecum tacitus quid quisque loquatur;  
Sermo etenim mores et celat et indicat idem.

## XXI.

*Ars usu iuvanda.*

Exerce studium, quamvis perceperis artem:  
Ut cura ingenium, sic et manus adjuvat usum.

## XXII.

*Vitam contemne.*

Ne multum cures venturi tempora fati:  
Non metuit mortem, qui scit contemnere vitam.

## XXIII.

*Discendum et docendum.*

Disce, sed a doctis; indoctos ipse doceto;  
Propaganda etenim est rerum doctrina bonarum.

## XXIV.

*Ebrietatem sedulo fugias.*

Hoc bibe quod possis, si tu vis vivere sanus;  
Morbi causa mali nimia est quæcumque voluptas.

## X X V.

*Ne damnes quod probaveris.*

Laudaris quodcumque palam, quodcumque probaris  
 Hoc, vide, ne rursus levitatis crimine damnes.

## X X V I.

*Circumspectus utraque fortuna esto.*

Trañquillis rebus, semper adversa timeto :  
 Rursus in adversis melius sperare memento.

## X X V I I.

*Studio sapientiam augeas.*

Discere ne cesses; cura sapientia crescit :  
 Rara datur longo prudentia temporis usu.

## X X V I I I.

*Parce laudandum.*

Parce laudato; nam, quem tu sæpe probaris,  
 Una dies, qualis fuerit, ostendet, amicus.

## X X I X.

*Discere ne pudeat.*

Ne pudeat, quæ nescieris, te velle doceri;  
 Scire aliquid laus est; culpa est nil discere velle.

## X X X.

*Rebus utendum ad sobrietatem.*

Cum Venere et Baccho lis est, sed juncta voluptas :  
 Quod blandum est, animo complectere; sed fuge lites.

## X X X I.

*Tristibus ac tacitis non fidendum.*

Demissos animo ac tacitos vitare memento.  
 Qua flumen placidum est, forsàn latet alius unda.

## X X X I I.

*Cum aliorum fortuna tuam confer.*

Cum tibi displiceat rerum fortuna tuarum,  
Alterius specta quo sit discrimine pejor.

## X X X I I I.

*Ultra vires nihil aggrediendum.*

Quod potes, id tenta; nam litus carpere remis  
Tutius est multo, quam velum tendere in altum.

## X X X I V.

*Cum justo inique non contendendum.*

Contra hominem justum prave contendere noli;  
Semper enim Deus injustas ulciscitur iras.

## X X X V.

*Fortuna utraque æquo animo ferenda.*

Ereptis opibus, noli mæerere dolendo;  
Sed gaude potius, tibi si contingat habere.

## X X X V I.

*Ab amicis non pauca ferenda.*

Est jactura gravis, quæ sunt, amittere damnis;  
Sunt quædam, quæ ferre decet patienter amicum.

## X X X V I I.

*Tempori non confidendum.*

Tempora longa tibi noli promittere vitæ:  
Quocumque ingrederis, sequitur mors, corporis umbra.

## X X X V I I I.

*Deus quibus placandus.*

Ture Deum placa; vitulam sine crescat aratro:  
Ne credas placare Deum, cum cæde litatur.



X X X I X.

*A potentioribus læsus, dissimula.*

Cede locum læsus fortunæ, cede potenti :  
Lædere qui potuit, prodesse aliquando valebit.

X L.

*Castiga te ipsum.*

Cum quid peccaris, castiga te ipse subinde :  
Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.

X L I.

*Amicus mutatus non vituperandus.*

Damnaris numquam, post longum tempus, amicum.  
Mutavit mores; sed pignora prima memento.

X L I I.

*Ut sis carus, esto gratus.*

Gratior officiis, quo sis magis carior, esto :  
Ne nomen subeas, quod dicitur officiperdi.

X L I I I.

*Ne tibi periculum finge.*

Suspectus cave sis, ne sis miser omnibus horis ;  
Nam timidus et suspectus aptissima mors est.

X L I V.

*Humanitas erga servos.*

Cum servos fueris proprios mercatus in usus,  
Et famulos dicas, homines tamen esse memento.

X L V.

*Occasio neglecta perit.*

Quamprimum rapienda tibi est occasio prima :  
Ne rursus quæras quæ jam neglexeris ante.

## X L V I.

*Non lætandum repentino malorum obitu.*  
Morte repentina noli gaudere malorum :  
Felices obeunt, quorum sine crimine vita est.

## X L V I I.

*Uxoris amicus, tuæ famæ inimicus.*  
Cum tibi sit conjux, ne res et fama laboret,  
Vitandum ducas inimicum nomen amici.

## X L V I I I.

*Qui multa didicit, multa docere debet.*  
Cum tibi contigerit studio cognoscere multa,  
Fac discas multa, et vita nescire docere.

## X L I X.

*Brevitas amica memoriæ.*  
Miraris verbis nudis me scribere versus ?  
Hos brevitatis sensus fecit conjungere binos.

SEPTEM  
GRAECIAE SAPIENTUM  
SENTENTIAE.

---

SEPTEM  
GRÆCIAE SAPIENTUM  
SENTENTIAE

A D. MAGNO AUSONIO

SEPTENIS VERSIBUS EXPLICATAE.

---

BIAS PRIENEUS.

QUAENAM summa boni? mens quæ sibi conscia recti.  
Pernicies homini quæ maxima? solus homo alter.  
Quis dives? qui nil cupiat. Quis pauper? avarus.  
Quæ dos matronæ pulcherrima? vita pudica.  
Quæ casta est? de qua mentiri fama veretur.  
Quod prudentis opus? cum possit, nolle nocere.  
Quid stulti proprium? non posse, et velle nocere.

PSITTACUS MITYLENEUS.

Loqui ignorabit qui tacere nesciet.  
Bono probari malo, quam multis malis.  
Demens superbis invidet felicibus.  
Demens dolorem ridet infelicium.  
Pareto legi, quisque legem sanxeris.  
Plures amicos re secunda compara.  
Paucos amicos rebus adversis proba.



## CLEOBULUS LINDIUS.

Quanto plus liceat , tam libeat minus.  
 Fortunæ invidiæ est immeritus miser.  
 Felix criminibus nullus erit diu.  
 Ignoscas aliis multa ; nihil tibi.  
 Parcit quisque malis , perdere vult bonos.  
 Majorum meritis gloria non datur.  
 Turpis sæpe datur fama minoribus.

## PERIANDER CORINTHIUS.

Numquam discrepat utile a decoro.  
 Plus est sollicitus , magis beatus.  
 Mortem optare malum , timere pejus.  
 Faxis ut libeat quod est necesse.  
 Multis terribilis , caveto multos.  
 Si fortuna juvat , caveto tolli.  
 Si fortuna tonat , caveto mergi.

## SOLO N A THENIENSIS.

Dico tunc beatam vitam , cum peracta facta sint.  
 Par pari jugator conjux. Quidquid impar , dissidet.  
 Non erunt honores umquam fortuiti muneris.  
 Clam coarguas propinquum , propalam laudaveris.  
 Pulchrius multo parari , quam creari nobilem.  
 Certa si decreta sors est , quid cavere proderit ?  
 Sive sint incerta cuncta , quid timere convenit ?

## CHILO LACEDÆMONIUS.

Nolo minor me timeat, despiciatque major.  
 Vive memor mortis, uti sis memor et salutis;  
 Tristia cuncta exsuperans aut animo, aut amico.  
 Tu bene si quid facias, non meminisse fas est.  
 Quæ benefacta accipias, perpetuo memento.  
 Grata senectus homini quæ parilis juventæ.  
 Illa juvena est gravior quæ similis senectæ.

## THALES MILESIUS.

Turpe quid ausurus, te sine teste time.  
 Vita perit, mortis gloria non moritur.  
 Quod facturus eris, dicere sustuleris.  
 Crux est, si metuas, vincere quod nequeas.  
 Cum vere objurgas, sic inimice juvas.  
 Cum falso laudas, sic et amice noces.  
 Nil nimium satis est. Ne sit et hoc nimium.

DE IISDEM SEPTEM SAPIENTIBUS,  
 E GRÆCO.

Septenis patriam sapientum, nomina, voces,  
 Versibus expediam; sua quemque monosticha dicent:  
 Chilo, cui patria est Lacedæmon, Noscere seipsum.  
 Periander Trepidam moderare corinthius iram.  
 Ex mitylenæis, Nimium nil, Pittacus oris.  
 Mensuram optimum, ait Cleobulus lindius, in re.  
 Expectare Solon finem docet, ortus Athenis.  
 Plures esse Bias pravos, quem clara Priene.  
 Mileti, fugisse Thales vadimonia, alumnus.

---

DE VIRO BONO,  
AUSONII EGYLLIUM

EX GRÆCO PYTHAGORICUM.

Vir bonus et sapiens, qualem vix repperit unum  
Millibus e multis hominum consultus Apollo,  
Judex ipse sui, totum se explorat ad unguem.  
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi,  
Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus :  
Externæ ne quid labis per levia sidat.  
Ille, dies quam longus erit sub sidere cancri,  
Quantaque nox tropico se porrigit in capricorno,  
Cogitat, et justo trutinæ se examine pendit,  
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis  
Partibus ut cocat, nil ut deliret amussis.  
Sit solidum quocumque subest : nec inania subter  
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.  
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,  
Omnia quam longi reputaverit acta diei.  
Quæ prætergressus? quid gestum in tempore? quid non?  
Cur isti facto decus affluit, aut ratio illi?  
Quid mihi præteritum? Cur hæc sententia sedit,  
Quam melius mutare fuit? Miseratus egentem,  
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?  
Quid volui, quod nolle bonum foret? Utile honesto

Cur malus antetuli? Num dicto, aut denique vultu,  
Perstrictus quisquam? Cur me natura magis, quam  
Disciplina trahit? Sic dicta et facta per omnia  
Ingrediens, ortoque a vespere cuncta revolvens,  
Offensus pravus, dar palmam et præmia rectis.



MICHAELIS VERINI  
DISTICHA ETHICA.

---

---

MICHAELIS VERINI

V I T A.

MICHAEL VERINUS, Hispanus, minorem e Balearibus insulis habuit patriam, quam Minoricam vulgus appellat. Natus est Ugolino patre, viro, Angeli Politiani testimonio, liberalibus studiis perdocto, quod et innuisse videtur Verinus his versibus:

In lucem nostri formidant prodere lusus:

Si prius emendes, nil, Ugoline, timent.

Puer admodum Romam deportatus est, ubi et pater versari frequens consueverat; erudiendusque ibi traditus est Paulo Saxiæ, Roncilioni, grammatico ac rhetori eximio, cui postea distichorum opus, ingenii sui primitias, dicavit.

Ingenio et mentis viribus extra aliorum condiscipulorum aleam tam insignis apparuit, ut, si longiori vita fungi licuisset, optimos forte poetas latinos fuisset assecutus.

Heroicum carmen tribus duntaxat versibus expertus est, ita incipiens :

Luxuria, prædulce malum...

Statura fuit mediocri, colore candido, oculis vividissimis, spiritu afflicto, sermone non ita tardus quam consulto rarus. Amicos habuit Dinum, Ridolphum, Petrumque et Simonem Canisianum, ad quos nonnumquam scripsit, quorumque frequenter in distichis suis meminit. Cum ex ephebis excessisset, perpetuam virginitatem servare statuit; morboque gravissimo afflicto, cui foeminam remedium esse medici censebant, mortem imminens antetulit, annumque decimum octavum agens duris fatis concessit. Quod in epigrammatis testatur Angelus Politianus.

---

MICHAELIS VERINI  
DISTICHA ETHICA.

I.

*Ad Paulum Saxiam Roncilionensem, olim  
præceptorem suum.*

RONCILIONIS honor, sanctorum regula morum,  
Quæ didici reddo carmina, Paule, tibi.

II.

*Ad eundem.*

Tu me Pieridum duxisti primus in antra :  
Primitias igitur accipe, Paule, meas.

III.

*Ad lectorem.*

Si te crebra juvat brevibus sententia chartis,  
Delectum e multis hoc cape, lector, opus.

IV.

*Sententia ad lectorem.*

Disticha nostra legant pueri, castæque puellæ :  
Continet obscenos fabula nulla jocos.

V.

*Unde traxerit materiam distichorum.*

Siderei instar apum delibans gramina Christi,  
Delegi, lector, hoc tibi mellis opus.



## V I.

*Ne quis impurus hæc legat.*

Hinc, lasciva Venus, procul hinc discede, Cupido!  
Tota meis legitur casta Minerva libris.

## V I I.

*Nulla ibi nisi seria.*

Tu Cato, vel censor nostris scribere libellis:  
Hæc farrago mei carminis, ista seges.

## V I I I.

*Omnia ibi brevia et proba.*

Nostra legas quisquis fueris brevitatis amator:  
Invenies lepidos, sed sine felle, jocos.

## I X.

*Ad lectorem de Martiale.*

Carmina sunt, fateor, pulcherrima vatis ibeti;  
Ad mores faciunt non tamen illa bonos.

## X.

*Quod christianos non decet esse leves.*

Cur gravibus texam quæris mea disticha verbis?  
Cultores Christi non decet esse leves.

## X I.

*Optima quæque carpenda ex autoribus.*

Virgilius gemmas Eani de stercore legit;  
Et mihi sunt vatum plura notanda luto.

## X I I.

*Libri haud leviter evulgandi.*

In lucem hortaris me nostros edere versus;  
Perfectum nescis ut mora reddat opus.

## X I I I.

*In tribulatione virtus, ut aurum in igne,  
perficitur.*

Quod fornax auro, facit hoc tribulatio justis :  
Rebus in adversis certa probanda fides.

## X I V.

*Ubi amor, ibi timor.*

Quæ tu contemnes, numquam amisisse dolébis :  
Nam magni est nimius causa timoris amor.

## X V.

*Veri amoris nullus est finis.*

Numquam vera fuit caritas, quæ desiit esse :  
Nullus enim veri finis amoris erit.

## X V I.

*Non decet christianos turpia scribere.*

Nos genus electum Christi, nos sacra propago,  
Scribemus veterum turpia more patrum!

## X V I I.

*Obscena fabula a pueris vitanda.*

Inficit obsceni puerorum carminis aures  
Fabula, dum vatam quæritur ipse nitor.

## X V I I I.

*Mala durant quæ teneris mentibus  
discuntur.*

Heu! male diluitur teneris quod mentibus hæsit :  
Præsertim durant quæ didicere mala.

## X I X.

*Quare mordaces versus non scribat.*  
 Quod nostri careant mordaci schemate versus,  
 Lex hominum hoc prohibet, religioque Dei.

## X X.

*Omnes sunt felices, ubi omnes amici.*  
 Quam felix, et quanta foret respublica, cives  
 Si cunctos unus conciliasset amor!

## X X I.

*Præmium, stimulus ad laborem.*  
 Est labor ingratus, quem debita præmia fallunt:  
 Quid grave non fiet spe sine, vel leve sit?

## X X I I.

*Munera ex animo dantis æstimanda.*  
 Non quantum dederis, sed qua tu mente dedisti,  
 Pensandum est: placat victima parva Deum.

## X X I I I.

*Forma caduca, mali persæpe causa.*  
 Quid fidis formæ, populat quam morbus et ætas?  
 Multis causa mali forma decora fuit.

## X X I V.

*Forma, bonum nimis breve.*  
 Hæc quam cernis anum, quondam formosa puella  
 Exstitit: an nescis quam breve forma bonum est?

## X X V.

*Uxor bona et non pulchra habenda.*  
 Sit formosa aliis uxor, tibi sit bona: nescis  
 Quam noceat castæ forma pudicitæ.

## X X V I.

*Difficile est custodire formosas.*

Ægre formosam poteris servare puellam ;  
Nunc prece , nunc auro , forma petita ruit.

## X X V I I.

*Ex temperantia felicitas.*

Illa domus felix , ubi parvo assueta juvenus ,  
In festo coctum luxuriatur olus.

## X X V I I I.

*Ex luxu perditio.*

Infelix patria est pueros ubi purpura vestit ,  
Atque ubi præcedit dives honore bonos.

## X X I X.

*De falsis gaudiis.*

Quæ durare putas mortalis gaudia vitæ ,  
Sunt brevia ; et finis tristis amaror erit.

## X X X.

*De veris gaudiis.*

Una salus servire Deo est : hæc gaudia sola  
Vera putes , quorum gloria finis erit.

## X X X I.

*Malorum est amara voluptas.*

Quid lætare , miser ? peccati est nulla voluptas :  
Gaudia plus aloes quam tua mellis habent.

## X X X I I.

*Cor impiorum est fretum fervens.*

Cor injustorum semper velut æstuat unda  
Æquoris , insanus cum freta ventus agit.



## X X X I I I.

*Impudici oculi deprædantur animam.*  
Lumina prædantur mentem, pariuntque ruinam  
Lumina; nequitia, si sapis, obde fores.

## X X X I V.

*Quid sit peccatum.*

Peccatum est deforme malum, transgressio legis  
Divinae; at citius dixeris esse nihil.

## X X X V.

*Judex et censor omni careat peccato.*  
Aspiciat lucem, qui vult damnare tenebras:  
Qui carpit mores, sit sine labe prius.

## X X X V I.

*Peccator et cæcus et bestia efficitur.*  
Cor Deus injusti nebulis obnubilat atris;  
Exiit et formam, fitque repente fera.

## X X X V I I.

*Peccatum est obex inter animam et Deum.*  
Obtenebrat mentem peccatum; est obicis instar,  
Quo nequit autorem cernere tecta suum.

## X X X V I I I.

*Quanta fides fuerit, tanta retributio.*  
Est operis mensura fides, nostrique laboris  
Examen: capies præmia quanta fides.

## X X X I X.

*Aliena magis, quam nostra, vitia cernimus.*  
Cur aliena magis quam crimina nostra videmus?  
An quia nostra procul sunt, aliena prope?

## X L.

*Post gaudia dolor sequitur.*

Æternus sequitur præsentia gaudia mæror :  
Stultene deliciis credis utrisque frui ?

## X L I.

*Risus in luctum vertitur.*

Hæu ! risus noster luctu miscetur amaro ;  
Diraque sub dulci melle venena latent.

## X L I I.

*De avaro.*

Nusquam fraude caret, semper mentitur avarus ;  
Erga inopes surdus ferrea corda gerit.

## X L I I I.

*Præmia non sine certamine distribuenda.*

Indignum est nullo certamine præmia velle ;  
Virtuti justus distribuatur honos.

## X L I V.

*De gloria.*

Gloria si dulcis, studeas virtute parare :  
Quo labor est major, gloria major erit.

## X L V.

*Justi bene operantur vitutis amore.*

Terret pœna malos, invitant præmia justos ;  
Sed potis est virtus reddere sola bonos.

## X L V I.

*Qui Deo militat, mortalia contemnat.*

Terræ spernat opes cœli qui militat oris :  
Principis æterni castra sequenda tibi.

## X L V I I.

*Patientia quo longior, eo laudabilior.*

Ut tua majori crescat patientia laude,  
Non audit subito vota petita Deus.

## X L V I I I.

*Nec cito nec temere judicandum.*

Judicium præceps insani judicis index;  
Omnia sunt longis discutienda moris.

## X L I X.

*Justitia et caritas arma sunt principum.*

Justitia et caritas, dilecti principis artes;  
Hæc sunt arma quibus nulla nocere queunt.

## L.

*Tyrannorum potentia stare non potest.*

Justitia et caritas validæ sunt principis arces;  
Nulla tyrannorum vis diuturna fuit.

## L I.

*Contra inertes.*

Tolle moras; volucres menses labuntur, et anni.  
Ultima sit nescis quando futura dies.

## L I I.

*Vivendum tamquam adsit ultima dies.*

Compositis vivas ceu sit lux ultima rebus;  
Incautum ne te parca severa premat.

## L I I I.

*Nemo sua sorte contentus.*

Quod sit nemo sua contentus sorte requiris?  
A patrio extorres vivimus hic solio.

## L I V.

*Nihil stabile in rebus humanis.*

Cum stabile hic nihil invenias, cur stare requiris?  
En, videas flexu cuncta perire suo.

## L V.

*Quæ videntur, sunt fluxa; invisibilia vero,  
æterna.*

Quod cernis nihil est; volat atri turbinis instar;  
Sed quod non cernis esse perenne puta.

## L V I.

*Fortibus præmia, non ignavis.*

Non nisi per magnos ad præmia magna labores  
Itur; at ignavis nulla corona datur.

## L V I I.

*Neminem labor terreat.*

Si te delectant æternæ præmia vitæ,  
Magna quidem, nec te terreat ergo labor.

## L V I I I.

*Qui bene vixit, mortem non timet.*

Qui bene præteritos sine labe peregerit annos,  
Non horret mortis vulnera dira pati.

## L I X.

*Mors viri boni non est flenda.*

Non obitus flendus, sequitur quem vita perennis;  
Vivus enim semper qui bene vixit erit.

## L X.

*Erudiendi pueri in tenera ætate.*

Dum tenera est ætas generosos imbue morès;  
Tunc facile est cunctis artibus ingenium.



## L X I.

*Temporis jactura magnum malum, præsertim  
doctis.*

Nulla viris doctis jactura est tempore major;  
Et multi incassum tempus abire sinunt.

## L X I I.

*Mors malorum pessima, bonorum felix.*

Formidanda malis, sequitur quam poena perennis;  
At contra felix mors solet esse bonis.

## L X I I I.

*Totam illustrat vitam felix exitus.*

Tota illustratur felici funere vita;  
Mors felix vitæ causa perennis erit.

## L X I V.

*Bono bonus exitus, malo malus.*

Vita boni raro turpatur funere fædo:  
Vita mali turpi clauditur exitio.

## L X V.

*Mutantur pili, non mores.*

De flavis vetula in canos vulpecula mutat;  
Illius at mores vertere nemo videt.

## L X V I.

*Medicis morbi quamprimum sunt mon-  
strandi.*

Si vis curari, medico tua vulnera pande;  
Exposces sero cum morieris opem.

## L X V I I.

*Gula et otium arma sunt Veneris.*

Quis Cererem et Bacchum, quis nesciat otia causas  
Nequitiae, et sceleris tela, Cupido, tui?

## L X V I I I.

*Medicis opus haud multis, at bonis.*

Vis febre curari? medicis ne crede salutem  
Pluribus; unus enim sat bonus esse potest.

## L X I X.

*Plures interficit gula quam gladius.*

Miraris subito lurconem funere raptum;  
Crede mihi, ancipiti plus ferit ense gula.

## L X X.

*In gulosos aliud distichon.*

Cum doleat stomachus medicum accersire Leonem,  
Paule, jubes: febris si tibi causa gula est?

## L X X I.

*Gula, mortis causa.*

Autumno inquiris cur tot moriantur in uno  
Causam, cum gula sit pestis et atra laes.

## L X X I I.

*Modicis cibus natura contenta.*

Esse cupis frugi? facile est; nam panis et undae  
Prædives dapibus quilibet esse potest.

## L X X I I I.

*Omnia pro vita æterna sunt hic toleranda.*

Si quanta æternæ sunt vitæ præmia volvas,  
Omnia pro Christo perpetiere libens.

## L X X I V.

*Mercēs quovis labore major.*

Spe regni æterni debes tolerare labores,  
Longe promissis uberiora feres.

## L X X V.

*Quid cœlestia regna potest æquiparare ?*

Pro superis dabitur quæ commutatio regnis ?  
Et tamen hanc hominum plurima turba facit !

## L X X V I.

*Recta conscientia dat verum gaudium.*

Gaudia vera dabit meus omnis criminis expers :  
Hei mihi ! quam pauci gaudia vera ferent !

## L X X V I I.

*Non sunt vera gaudia in præsentī vita.*

Delectare putas præsentis gaudia vitæ,  
Quorum cum pœna toxica finis habet !

## L X X V I I I.

*Sola virtus beatos efficit.*

Omnia cum pereant, virtus est sola perennis :  
Hæc immortales reddere sola potest.

## L X X I X.

*Rebus prosperis non est fidendum.*

Pone modum, rebus nimium confise secundis :  
Quæ dedit hæc eadem sors tibi tollet opes.

## L X X X.

*Nemo confidat in divitiis suis.*

Quid tibi, si gemmas omnes cumularis et aurum,  
Et tua tartareis mens crucietur aquis ?

## L X X X I.

*Deus non miseretur assidue peccantis.*  
 Assidue peccantis erit Deus hostis acerbus;  
 Quoque magis tolerat, sævior ultor erit.

## L X X X I I.

*Quo serius, eo sævius.*  
 Quid rides? gravitate Deus tormenta rependet;  
 Et gliscit tardis grandior ira moris.

## L X X X I I I.

*Pecunia amissa gravius lugetur quam peccatum.*

Si tua tam vero lueres peccata dolore  
 Ut nummos, esses victima grata Deo.

## L X X X I V.

*Utendum est florida ætate.*  
 Si mora nulla datur vitæ labentibus horis,  
 Cur ita tam longæ turba sopore jacet?

## L X X X V.

*Mors est inevitabilis.*  
 Quid subito palles audito nomine mortis?  
 An tibi res nova mors? unde repente metus?

## L X X X V I.

*Quando mors sit optima.*  
 Optima tunc mors est, cum vita est criminis expers;  
 Mors felix, vita est cum tibi cara magis.

## L X X X V I I.

*Post gaudium vitæ venit luctus mortis.*  
 Quid lætare, miser? nescis post gaudia vitæ  
 Perpetuos luctus mortis adesse tibi? 9.



## L X X X V I I I.

*Non Deus est autor culpæ, sed pœnæ.*  
 Non Deus est autor culpæ, sed criminis ultor :  
 Pro meritis justis præmia justa dabit.

## L X X X I X.

*De vitæ cupiditate in tot malis.*  
 Cum mala præsentis longe sint plurima vitæ  
 Quam bona ; cur vitæ tanta cupido tenet ?

## X C.

*Promissis Dei facilis ad cœlum via.*  
 Est via difficilis, superas quæ ducit ad oras :  
 Promissis facilis redditur illa Dei.

## X C I.

*Ulcus proditum citius curatur.*  
 Quod cito prodideris medico curabitur ulcus.  
 Obfuit, heu ! multis occuluisse diu.

## X C I I.

*Divitibus certa impunitas.*  
 Cum reus est dives, prætorem nactus avarum,  
 Quid non sperabit posse licere sibi ?

## X C I I I.

*Quales principes, tales populi.*  
 Si studia et mores populi cognoscere curas,  
 Res facilis ; vitam principis inspicias.

## X C I V.

*Cur solus in agris sæpe versatur.*  
 Esse tibi solus videor, si solus oberrem :  
 Tunc mihi Pieridum turba canora comes.

X C V.

*Cur solitudine delectatur.*

Cum fugiam cœtus, me tamquam carpis agrestem :  
Tunc ego sum solus, cum mihi turba comes.

X C V I.

*Adulator, regum pestis infestissima.*

Blandus adulator regum certissima pestis :  
Hæc gaudet sanctos perdere sæpe viros.

X C V I I.

*In eundem.*

Blandus adulator, virus commune potentum ,  
Sæpius infesto sævior hoste nocet.

X C V I I I.

*Quales esse debemus.*

Nulli sis blandus, sed verus, et omnibus æquus ;  
Vox clamore vacet, sit sine lite sonus.

X C I X.

*Risus et jocorum parcus esto.*

Immodicus risus non est sapientis, at iudex  
Stultitiæ : lepidi sint sine dente joci.

C.

*Ne simus loquaces.*

Vis sapiens dici? raro et meditata loquare :  
Sæpe loquax verbis proditur ipse suis.

C I.

*Vera laus bonorum.*

Omne genus laudis turpi vilescit in ore :  
Vera boni et docti laus solet esse viri.

## C I I.

*Nec nostra laudare , nec aliena reprehendere  
debemus.*

Nec tua laudabis , nec facta aliena reprehendes :  
Non satis est , alter si tua facta canit ?

## C I I I.

*In Maurum desidem.*

Tempore sic omni deses colis otia , Maure ,  
Ut recutitorum sabbata turba colit.

## C I V.

*Auro patent omnia.*

Munera quid possint , testetur ferrea turris  
Quam victor fulvo Juppiter imbre subit.

## C V.

*Ab auro corruptela.*

Quid non argento , quid non corrumpitur auro ?  
Qui majora dabit munera , victor erit.

## C V I.

*Divites plerumque mali.*

Difficile est opibus mores servare pudicos :  
Omnia divitibus nonne licere vides ?

## C V I I.

*Divitiæ sunt causæ periculorum.*

Cum sint divitiæ manifesta pericula vitæ ,  
Cur voto a cunctis sic cupiuntur opes ?

## C V I I I.

*Tutior paupertas , ab omnibus evitatur.*

Sobria paupertas multorum causa bonorum est ,  
Hanc tamen ut pestem plurima turba fugit.

## C I X.

*Natura paucis contenta.*

Quid tibi deesse potest, modicus si panis et unda,  
Prandia vel cœnas si tibi præbet olus?

## C X.

*Mors intrepide expectanda.*

Expectes omni securus tempore mortem;  
Nam quo sit nescis excipienda loco.

## C X I.

*Mors ubique instat.*

Ipse licet fugias pennis velocius euri,  
Non tamen effugies tela tremenda necis.

## C X I I.

*Unicuique moriendum.*

Infelix palles audito nomine mortis,  
Tamquam sit soli mors fugienda tibi.

## C X I I I.

*Mors nec timenda nec fugienda.*

Quod nequeas vitare, fugis? mors omnibus instat;  
Nec formidanda est, nec fugienda tibi.

## C X I V.

*Stultum est mortem timere.*

Stultum, crede mihi, est quod inevitabile cernis  
Effugere, et turpi si quatiare metu.

## C X V.

*De suis laudibus tacendum.*

Narrent de te alii: proprio sordescit in ore  
Gloria; si taceas plus tibi laudis erit.



## C X V I.

*Nil magis nostrum est quam tempus.*

Nil magis est nostrum, volucris quam temporis usus :  
Sed multis tamquam res aliena volat.

## C X V I I.

*Quidquid præteritum est mors nobis  
abstulit.*

Prospicimus cuncti mortem, sed fallimur omnes ;  
Quidquid præteritum est, abstulit atra dies.

## C X V I I I.

*Brevis voluptas mille parit luctus.*

Est instar floris verni fugitiva voluptas ;  
Quod pudeat semper pœniteatque facit.

## C X I X.

*Hilariter dandum.*

Ille Deo similis, qui dat bene munera lætus :  
Qui repetit fructus, fenoris officio est.

## C X X.

*Nulla major usura et sanctior quam pascere  
pauperes.*

Nallum majus erit lucrum quam pascere egenos ,  
Fenore nam grandi centupla dona feres.

## C X X I.

*Palam et copiose reddendum.*

Ingratæ mentis sine teste est reddere grates :  
Reddereque ingrati est dona minora datis.

## C X X I I.

*Qui pauperibus elargitur, in cœlo  
thesaurizat.*

Quas Christi causa miseris donabis egenis,  
In cœlo æternas conciliabis opes.

## C X X I I I.

*In avarum.*

Quid cumulas aurum? solum conceditur usus,  
Tempora labuntur, dum cumulantur opes.

## C X X I V.

*Nullum majus lucrum neque certius quam  
credere Christo opes.*

Quod majus fenus quam Christo credere censum?  
Promissisne Dei est certior ulla fides?

## C X X V.

*Thesaurus fures non metuens.*

Munera si gratis dederis, si lætus, amicis,  
Tollet divitias has tibi nulla dies.

## C X X V I.

*Dat gratis nemo.*

Munera qui mittit, sperat majora remitti:  
Nemo suas vellet perdere gratis opes.

## C X X V I I.

*Virginitatis encomium.*

Virginitas cœlum, Veneris chorus implet avernum.  
Hæc superis similes nos facit, illa feris.

## C X V I.

*Nil magis nostrum est quam tempus.*

Nil magis est nostrum, volucris quam temporis usus :  
Sed multis tamquam res aliena volat.

## C X V I I.

*Quidquid præteritum est mors nobis  
abstulit.*

Prospicimus cuncti mortem, sed fallimur omnes ;  
Quidquid præteritum est, abstulit atra dies.

## C X V I I I.

*Brevis voluptas mille parit luctus.*

Est instar floris verni fugitiva voluptas ;  
Quod pudeat semper poeniteatque facit.

## C X I X.

*Hilariter dandum.*

Ille Deo similis, qui dat bene munera lætus :  
Qui repetit fructus, fenoris officio est.

## C X X.

*Nulla major usura et sanctior quam pascere  
pauperes.*

Nullum majus erit lucrum quam pascere egenos ,  
Fenore nam grandi centupla dona feres.

## C X X I.

*Palam et copiose reddendum.*

Ingratæ mentis sine teste est reddere grates :  
Reddereque ingrati est dona minora datis.

## C X X I I.

*Qui pauperibus elargitur, in cælo  
thesaurizat.*

Quas Christi causa miseris donabis egenis,  
In cælo æternas conciliabis opes.

## C X X I I I.

*In avarum.*

Quid cumulas aurum? solum conceditur usus.  
Tempora labuntur, dum cumulantur opes.

## C X X I V.

*Nullum majus lucrum neque certius quam  
credere Christo opes.*

Quod majus fenus quam Christo credere censum?  
Promissisne Dei est certior ulla fides?

## C X X V.

*Thesaurus fures non metuens.*

Munera si gratis dederis, si lætus, amicis,  
Tollet divitias has tibi nulla dies.

## C X X V I.

*Dat gratis nemo.*

Munera qui mittit, sperat majora remitti:  
Nemo suas vellet perdere gratis opes.

## C X X V I I.

*Virginitatis encomium.*

Virginitas cælum, Veneris chorus implet avernum.  
Hæc superis similes nos facit, illa feris.



## C X X V I I I.

*Nec servum nec uxorem dominari decet.*

Quam miserum est, stultus si tractet servus habenas,  
Imperet aut uxor ambitiosa viro!

## C X X I X.

*Gratia gratiam parit.*

Pinguntur geminæ Charites spectare sororem;  
Dona monent reddas ut duplicata mihi.

## C X X X.

*Cur Gratia pingantur nudæ.*

Pinguntur nudæ Charites ne fenore dones.  
Usuram pietas religioque vetant.

## C X X X I.

*Ad amicum.*

Accipe parva mei lætus munuscula census:  
Nec quæ sint, sed qua suscipe mente data.

## C X X X I I.

*Quivis labor æternæ gloriæ impar.*

Quem potes æterno pro munere ferre laborem,  
Mercedi an tantæ par labor esse potest?

## C X X X I I I.

*Multi vocati, pauci vero electi.*

Salvantur pauci, multique vocantur ad astra:  
An quia sit paucis cognita vera fides?

## C X X X I V.

*Caritas virtutum optima.*

Est caritas perfectus amor, perfecta que virtus,  
Qua sine perfectum nil reperire potes.

C X X X V.

*Caritas, mensura gloriæ et præmiorum.*  
 Cui major caritas, debetur gloria major.  
 Quantus amor fuerit, præmia tanta feret.

C X X X V I.

*Qui vult esse altus, sit humilis.*  
 Esto humilis, quisquis fieri cupis incola cœli:  
 Fastus tartareis excrucietur aquis.

C X X X V I I.

*Tardi et considerati simus ad loquendum.*  
 Qui cito præcipitat velox sine pondere verbum,  
 Errat; et emissum non revocare potest.

C X X X V I I I.

*Quod dices faciesve aliis, tibi fiet et dicetur.*  
 Quæ dices aliis, tibi mox responsa remitti  
 Expectes; capies, qualia dona dabis.

C X X X I X.

*Sententia carens pietate injusta est.*  
 Quæ pietate caret sententia, sæva putatur.  
 Est pietas cunctis anteferenda sacris.

C X L.

*Melius consilium quam vires.*  
 Consilio utilius quam viribus arma geruntur.  
 Militis est robur, consiliumque ducis.

C X L I.

*Nemo non peccat.*  
 Quæ sine labe caro? quæ non obnoxia culpæ est.  
 Quem non invenies criminis esse reum?

## CXLII.

*Culpa frequens, pœnitentia rara.*

Non peccare Dei est; nemo sine crimine vivit.  
Errati paucos pœnituisse vides.

## CXLIII.

*De falsa spe pœnitentiæ.*

Fertenuis spes est, inter peccata salutem,  
Et sperare novis criminibus veniam.

## CXLIV.

*Qui præsentia expetit, futura negligit.*

Cui spes præsentis vitæ est præfixa, futuram  
Negligit: hic numquam mente quietus erit.

## CXLV.

*Iratus, ne punito.*

Qui temere et præceps rabidas exarsit in iras,  
Excedet semper limina justitiæ.

## CXLVI.

*Quæ virginitati obstant.*

Qui vult virgineum coelebs servare pudorem,  
Otia devitet fœmineosque choros.

## CXLVII.

*Visus luxuriæ fomes.*

Sæpe marem in furias aspectu fœmina solo  
Urget, et inflammat pectora notus odor.

## CXLVIII.

*Vitandæ opportunitates nequitiae.*

Quis non uretur si se dejecit in ignem?  
Vivere quis credat dira venena bibens?



## CXLIX.

*Fiducia plerumque damnosa.*

Utilius timuisse bene, quam fidere male;  
Nam cauto et timido nulla procella nocet.

## CL.

*De vitandis fœminis.*

O quibus illecebris capitur cui fœmina juncta est!  
Fœmina tentandi pabula quanta dedit!

## CLI.

*Mulier telum nocivum.*

Formosæ occursus mulieris dæmonis arma:  
Parthorum tamquam diæ sagitta ferit.

## CLII.

*Vitanda proximitas fœminæ.*

Sæpe pudicitiam mulier formosa propinqua  
Eripuit castis, multaque damna dedit.

## CLIII.

*Fœmina domat duces victores.*

Fœmina magnanimos domuit persæpe leonæ;  
Prædaque victores sæpe fuere duces.

## CLIV.

*Fortissimorum victricis fœmina.*

Quis Samsone fuit, quis fortior Hercule? constat  
Fœmineis ambos succubuisse toris.

## CLV.

*Tutior est sibilus basilisci quam cantus puellæ.*

Tutius in silvis basiliscum audire frementem,  
Quam molles cantus fœmineumque melos.



## C L V L.

*Tria mulieris petulantiam cohibent.*

Fœmina molle genus, turpes proclivis ad actus,  
Ni vir sit custos, ni pudor, atque metus.

## C L V I I.

*Mulier peccati causa.*

Fœmina peccati gluten; latet anguis in illa:  
Si sapi, hanc, ceu sit pestis amara, fuge.

## C L V I I I.

*Mulier peccati initium.*

Noxia fœminei fugias contagiâ cœtus:  
Quanti causa mali fœmina prima fuit!

## C L I X.

*De laude virginitatis.*

Virginitas animæ murus, victoria carnis;  
Portus honestatis sancta pudicitia est.

## C L X.

*De virginitate.*

Virginitas cœleste bonum, cognata phalangi  
Angelicæ, in terris, hei mihi! rara fuit.

## C L X I.

*Luxus ingenium et mores perdit.*

Nil lethale magis quam luxu perdere mores;  
Hæc pestis juvenum sævior ingeniis.

## C L X I I.

*Muliebres artes virum dedecent.*

Turpe viro studium est saltandi, turpe canendi;  
Turpe est fœmineis semper adesse choris.

## CLXIII.

*Spes vitæ longioris est peccati causa.*  
 Dulcis amor vitæ dirum, mihi crede, venenum est;  
 Causaque peccandi spes diuturna fuit.

## CLXIV.

*Exitiosa est vitæ cupido.*  
 Quam miserum nescire mori! vitæque cupido  
 Peccandi multis pabula quanta dedit!

## CLXV.

*Qui nihil sperat, nihil timet.*  
 Si nil sperabis, discrimina nulla timebis.  
 Qualis amor fuerit, talis et ipse timor.

## CLXVI.

*Non decet virum muliebri cultu incedere.*  
 O quam turpe viro muliebri incedere cultu,  
 Molliaque evulsis reddere crura pilis!

## CLXVII.

*Peccat princeps qui peccatum non prohibet.*  
 Cum prohibere potest, causam tribuisse videtur  
 Peccandi, quisquis non vetat illicitum.

## CLXVIII.

*Conscientia bona nil timet.*  
 Qui recte vivit, contemnit jussa superbi:  
 Conscia mens recti nil timuisse potest.

## CLXIX.

*Plus lingua et convictus quam scriptum  
 movent.*  
 Plus tibi convictus, plus uni proderit oris  
 Eloquium, quam si scripta diserta legas. 10.

## C L X X.

*Fidere vulgo, et captare populum, est  
dementia.*

O te dementem, si vulgi mobilis aura  
Te movet! ah! nescis cui placuisse cupis.

## C L X X I.

*A muneribus cavendum.*

Munera ne capias; uncus latet hamus in esca:  
Nulla carent visco munera; virus habent.

## C L X X I I.

*Verus amicus in duro tempore cernitur.*

Temporibus duris veri noscuntur amici.  
Ah! fidos paucos experiere tibi.

## C L X X I I I.

*Dives multos, pauper vero nullos amicos  
habet.*

Invenies multos, si res tibi floret, amicos;  
Si fueris pauper, quis tibi amicus erit?

## C L X X I V.

*Quæ sunt veræ divitiæ.*

Divitiæ non sunt argenti pondus et auri:  
Virtutes veras accipe divitias.

## C L X X V.

*Cur non edat sua carmina.*

*Sat cito, si sat bene.*

Cur ego non edam in lucem mea disticha quæris;  
Edita, si mala sunt, quis revocare potest?

## CLXXVI.

*Avarus sibi tantum vivit.*

Ostia pauperibus, penus, et granaria claudis,  
Tradiderit soli hæc ceu tibi cuncta Deus.

## CLXXVII.

*Avaritia, crux animi.*

Conditio misera est lucri intoleranda cupido;  
Hiberni hæc vexat turbinis instar aquas.

## CLXXVIII.

*Auro potior sapientia.*

Si fueris sapiens, Cræsi superaveris aurum;  
Nam sapiens nullo tempore vixit inops.

## CLXXIX.

*Nihil stulto prodest.*

Quid prodesse potest stulto, cum nesciat uti  
Consilio, atque omni tempore vivat inops?

## CLXXX.

*Corporis cura, virtuti noxia.*

Cui nimis est carum corpus, vilescit honestas:  
Et ventrem et mentem nemo replere potest.

## CLXXXI.

*Ad Petrum.*

Te miserum dicis; fateor: sine crimine quemquam  
Non vidi miserum; tu miser ergo, Petre, es.

## CLXXXII.

*Ad Dinum.*

Cum tanta, heu! miseris penuria temporis instet;  
Cur, Dine, in nugis tempora longa teris?



## CLXXXIII.

*Reprehendit mori timentem.*

Cum sit plena mali vitæ mortalis egestas,  
 Cur exire times carcere? liber eris.

## CLXXXIV.

*Satis vixit qui bene vixit.*

Quod cito decedis, gemis; hac es lege creatus:  
 Nam tibi longa satis quæ bona vita fuit.

## CLXXXV.

*Omnia patienter ferenda, ut ex voluntate  
 Dei procedentia.*

Quod tibi contigerit, patienter ferre memento:  
 Nam certum fieri numine cuncta Dei.

## CLXXXVI.

*Mens bona numquam timet, at mala  
 semper.*

Conscia mens recti nullo commota pavore est;  
 At mala mens semper sollicitata pavet.

## CLXXXVII.

*Contra mercatores rerum terrenarum  
 epigramma.*

Per mare, per terras, mercator quæritat aurum;  
 Tu cœli æternas, stulte, relinquis opes.

## CLXXXVIII.

*In hypocritam.*

Mentiris, Christi falso qui sacra fateris,  
 Ni facias quidquid pagina sacra jubet.

## CLXXXIX.

*De veneratione parentum.*

Qui cupis esse senex, caros venerare parentes :  
 Quæ patri facies, filius illa tibi.

C X C.

*Omnis bonus, felix.*

Quid magis est felix quam cor sine crimine mundum ?  
 Qualis inest mundo pectore lætitia!

C X C I.

*Avarus homicida est.*

Quem non pavisti, mactasti, dives, egenum ;  
 Ipse reus tanti criminis hujus eris.

C X C I I.

*In parasitos.*

Qui socius mensæ est, verum ne retis amicum :  
 Tolle epulas, nosces quam tibi fidus erat.

C X C I I I.

*Qui amat periculum, in eo peribit.*

Qui discrimen amat, persæpe peribit in illo :  
 In pugna miles, nauta peribit aqua.

C X C I V.

*Mors inexpectata venit.*

Cum minime velles, truncabit stamina Clotho ;  
 Nec quidquam extremo certius interitu est.

C X C V.

*Numquam procrastinandum.*

Cras, inquis, faciam ; concessaque labitur hora :  
 Fac hodie ; fugit hæc non reditura dies.

## C X C V I.

*De invidia.*

Invidia est animæ tinea , hæc ceu vipera mordet,  
 Autorisque sui viscera prima ferit.

## C X C V I I.

*Non audiendus detractor.*

Qui detractori faciles accommodat aures ,  
 Dat causam , et pariter criminis ille reus.

## C X C V I I I.

*Scientia liberaliter communicanda.*

Edoceas quod scis, fit enim sapientia dando  
 Major : at est contra facta reventa minor.

## C X C I X.

*Via cæli aspera, inferni prona.*

Itur ad æthereas per magna pericula sedes,  
 At nullo inferni prona labore via est.

## C C.

*Vitium turpissimum.*

Si posses vitium quam sit deforme videre,  
 Hoc dices monstro foedius esse nihil.

## C C I.

*De pulchritudine virtutis.*

Flammiferis longe virtus formosior astris ;  
 Hæc rebus cunctis anteferenda tibi est.

## C C I I.

*Qui meminit mortis et inferni, facile  
 a vitiis abstinebit.*

Facile extinguet Veneris flagrantia tela,  
 Qui mortis meminit, qui Phlegethontis aquæ.

C C I I I.

*Ad Simonem Canusianum.*

Te dare promittis, nec das mihi munera, Simon:  
Nil tibi debebo si mihi tarda dabis.

C C I V.

*Magni citius et facilius ruunt.*

Quo magis est abies procera, evertitur euris:  
Culmina, non valles, fulmina torta petunt.

C C V.

*Gloria livorem parit.*

Quo major civis, major solet esse ruina;  
Magnaque livorem gloria sæpe parit.

C C V I.

*Qui magnus est semper timet.*

Quanto major eris, majora pericla cavenda.  
Crede mihi, nullo tempore tutus eris.

C C V I I.

*Male promissa haud servanda.*

Turpiter ægidæ Neptunus munera solvit:  
In male promissis rejicienda fides.

C C V I I I.

*In avarum.*

Vestibus innumeris desulas; horret egenus.  
Frigore cur inopem, teque calore, necas?

C C I X.

*Cui plus Deus dederit, plura requireret.*

Cui bona multa Deus concessit, plura requireret,  
Ni dispensarit quas bene cepit opes.



C C X.

*Bis dat qui cito dat.*

Munera des lætus; corrumpunt tædia donum;  
In quo censendum est quid, nisi dantis amor?

C C X I.

*Qui cito et temere promittit, nusquam servat fidem.*

Qui cito, qui temere spondet se multa daturum,  
Quæ male promisit, turpius illa negat.

C C X I I.

*Cito negare præstat, quam diu promittere.*

Qui cito, qui belle negat, is tribuisse videtur  
Munera; nam semper est odiosa mora.

C C X I I I.

*Non est tutum spretis suis credere se alienis.*

Non est tuta salus alienis credita telis:  
Venales mutat quælibet aura manus.

C C X I V.

*Qui dat inopi sua, numquam erit pauper.*

Qui bene divitias inopi donabit amico,  
Hic omni felix tempore dives erit.

C C X V.

*Velox passus sine causa, signum levitatis.*

Incessus velox signum levitatis habetur,  
Ni causa impellat præcipitare moras.

CCXVI.

*Pueri et juvenes non debent maledicere  
senibus.*

Ne sæva in canos, juvenis, convicia fundas ;  
Sed subito assurgas prætereunte sene.

CCXVII.

*A prima ætate sunt docendi pueri.*

Vera tuis ut sit si vis sapientia canis,  
Cum primo hanc sitiens ebibe lacte, puer.

CCXVIII.

*Unde senatus dictus.*

A senibus prisci sanctum dixere senatum :  
Est robur juvenum, consiliumque senum.

CCXIX.

*Senectutis comes prudentia.*

A sene consilium quæras : prudentia rerum  
Est illis, sine qua curia quæque perit.

CCXX.

*Signum ruinæ gubernatio juvenum.*

Urbes, regna, domos, juvenum quas rexerit ardor,  
Sint quamquam fortes, certa ruina manet.

CCXXI.

*Qui cito credit, cito perit, necnon levis  
est corde.*

Qui cito crediderit, fallitur sæpe, levisque  
Est cordis : raro fallitur ipse senex.

## C C X X I I.

*Legis et justitiæ munia.*

Vis legis prohibere malum est, permittere honestum :  
Justitia est semper jus dare cuique suum.

## C C X X I I I.

*Turpius est fœdari animo quam corpore.*

Fœdus est animi vitii corrumpere lucem,  
Corpora quam turpi commaculare nota.

## C C X X I V.

*Injustitia ruina urbium*

Nil injustitia miseræ est infestius urbi;  
Funditus hæc muros vertit, et ipsa domos.

## C C X X V.

*Discordia omnia evertit.*

Nil adeo est firmum quod non discordia vellat :  
Funditus hæc muros vertit, et illa domos.

## C C X X V I.

*Publica privatis anteponenda.*

Publica privatis nisi præferat omnia rector,  
De justo injustus rege tyrannus erit.

## C C X X V I I.

*In cœlo vera amicitia.*

Si nihil in terra casto perhibetur amore  
Dulcius, in cœlis qualis amicitia!

## C C X X V I I I.

*Non bene philosophiæ et conjugio vacatur.*

Non bene socraticis chartis thalamoque vacabis :  
Numquid erit Veneris casta Minerva comes ?

C C X X I X.

*Senectus bonis jucunda est, malis vero  
morosa.*

Quæ caruit vitii, dulcis solet esse senectus;  
Contra morosa est, quæ vitiosa fuit.

C C X X X.

*Vitia aliena inquirimus, nostra non  
cernimus.*

Esse quid hoc dicam, alterius si crimina lynceis  
Aspicias, at cæcis si tua lacinibus?

C C X X X I.

*Nemo sua sorte contentus.*

Quisque suam deflet sortem; vicinaque semper  
Apparet falso lætior esse seges.

C C X X X I I.

*Errare humanum est.*

Errare est hominis, sed non persistere: sæpe  
Optimus est portus vertere consilium.

C C X X X I I I.

*Tempus præteritum reparari non potest.*

Præteritas nullus revocabit temporis horas:  
Desidia an quidquam foedius esse potest?

C C X X X I V.

*Utilius est unum ac sæpe librum legere quam  
multos cumulare.*

Egregios cumulare libros præclara supellex;  
Ast unum utilius volvere sæpe librum.



C C X X X V.

*Quod didiceris haud dediscendum.*

Ut cibus emissus subito non proderit alvo;

Pabula sic mentis non retinere diu.

C C X X X V I.

*Medicorum et medicamentorum multitudo  
noxia.*

Impediunt certam medicamina crebra salutem.

Non plures medici, sed satis unus erit.

C C X X X V I I.

*Nil sine amicis jucundum.*

Quid tibi jucundum submotis esset amicis,

Cuncta tibi quamquam sint cumulata bona?

C C X X X V I I I.

*Quid sit amicus.*

Alter ego est verus multumque probatus amicus,

Quo nobis debet carius esse nihil.

C C X X X I X.

*Amici prius eligendi, electi semper  
retinendi.*

Non temere admittas, nisi fidum noris amicum;

Sed semel admissus semper habendus erit.

C C X L.

*Scire mori optimum.*

Mortis honos est scire mori; vitæque beatæ

Exitus est testis, qui sine labe fuit,

## C C X L I.

*Fictilibus tutius quam in gemmis cœnatur.*

Fictilibus cœnare pudet, gemmasque requiris:  
Ah! nescis, demens, quanta pericla manent.

## C C X L I I.

*Sapientia docendo, caritas dando augetur.*

Ut caritas dando, sic fit sapientia major;  
Clausa minor nobis, largius ergo dabis.

## C C X L I I I.

*Avaritia semper crescit.*

Crescit avara sitis, quanto tibi copia major;  
Vel cumules omnes, semper egebis, opes.

## C C X L I V.

*Dives nemo, nisi qui parvo contentus.*

Non est, crede mihi, multos qui possidet agros,  
Dives; sed dives, cui satis unus ager.

## C C X L V.

*Liberalis.*

Quas inopi et dulci lætus donabis amico,  
Temporibus nullis eripientur opes.

## C C X L V I.

*Plures medici ægrotum raro curant.*

T cito, dic oleum properet deferre sacerdos;  
Convenit medicum plurima turba simul.

## C C X L V I I.

*Idem.*

Numquam, crede mihi, a morbo curabitur æger,  
Si multis medicis creditur una febris.

## C C X L V I I I.

*Pharmaca sæpe nocent.*

Unde fit ægroti ut plures curentur egeni ?

An quia divitibus pharmaca plura nocent ?

## C C X L I X.

*Quomodo dives et felix fias.*

Vis fieri dives ? Christi mandata sequaris ;

Diminuasque animi vota maligna tui.

## C C L.

*Amici divitiarum multi ; divitum , fere  
nulli.*

Quem tibi divitiæ peperere , est falsus amicus :

Argentum , non te , diligit ille tuum.

## C C L I.

*Fides et patientia rebus in adversis  
probantur.*

Rebus in adversis patientia vera probatur.

Rebus in adversis vera probanda fides.

## C C L I I.

*Duplex pœna peccanti principi imponenda*

Si proceres nequam , si peccavere parentes ,

Exemplo et sceleri pœna paranda duplex.

## C C L I I I.

*Parentum imitatores liberi.*

Sæpe patris mores imitatur filius infans ;

Qualis erat mater , filia talis erit.

## C C L I V.

*Filia matris mores sequitur.*

Casta refert castæ genitricis filia mores;  
Lascivæ numquam filia casta fuit.

## C C L V.

*Virtutis exemplar esto filiis, pater.*

Et verbo et facto parvis sit regula natis,  
Optima sitque omni tempore norma pater.

## C C L V I.

*Artes a teneris descendæ.*

Altera natura est habitus; quam junior artem  
Perdisces, tollet nulla senecta tibi.

## C C L V I I.

*Sola virtus beatos efficit.*

Sola potest homines æternos reddere virtus:  
Huic soli e cunctis non Libitina nocet.

## C C L V I I I.

*Eloquentiæ vis maxima.*

Nil tam difficile est, quod non persuadeat et non  
Efficiat docti lingua diserta senis.

## C C L I X.

*Idem.*

Ancipiti eloquium longe penetrantius ense:  
Hoc rabiem motam sedat, et arma movet.

## C C L X.

*Idem.*

Nil adeo incultum quod non ratione nitescat;  
Thebarum hæc altas vexit ad astra domos.



## C C L X I.

*Qui veritatem odit, perditus est.*

Desperanda salus, qui verum audire recusat,  
Inque suum præceps labitur exitium.

## C C L X I I.

*Senilis prudentia juvenum errores reparat.*

Præcipientes juvenum dementia subruit urbes:  
Curia consilio constabilita senum est.

## C C L X I I I.

*Cedat prudentiæ robur.*

Plus cunctatoris Fabii mora profuit urbi,  
Flaminii et Gracchi quam valere manus.

## C C L X I V.

*Innocens ubique securus.*

Accusent te mille licet, mens conscia recti  
Stat tamen, et spernit judicis ora trucis.

## C C L X V.

*Jactator, laude indignus.*

Omnibus in triviis recitans tua carmina laudas:  
Si vis ut laudem, disce tacere prius.

## C C L X V I.

*Filius non semper patri æqualis.*

Quod nequeam ad musas puer aspirare paternas,  
Da veniam; noster disticha ludus erit.

## C C L X V I I.

*Parvum parva decent.*

Disticha quod tenui mediter, me carpis, avena;  
Non omnes possunt prælia flare tuba.

## C C L X V I I I.

*Ne minima quidem spernenda.*

Si labor in tenui est, si me non spernit Apollo,  
Cur tibi sic nostri displicuere sales?

## C C L X I X.

*Ad Ugolinum, patrem suum.*

Nosti, care parens, quam sim brevitatis amator;  
Accipe delicias, disticha parva, meas.

## C C L X X.

*Ad eundem.*

In lucem nostri formidant prodere lusus;  
Si prius emendes, nil, Ugoline, timent.

## C C L X X I.

*Maturum moribus esse præstat, quam ætate.*

Me puerum dicis, quid tum? ingeniumque reprendis;  
Sat mihi si mores dixeris esse bonos.

## C C L X X I I.

*Naturæ vitia haud carpenda.*

Ætatem incusas, nequeas cum carpere mores:  
Naturam insanæ est carpere mentis opus.

## C C L X X I I I.

*Quæ senectus sit laudanda.*

Ut laudanda senis probitas, ita foeda senectus  
Culpanda est, turpi quæ maculata probro.

## C C L X X I V.

*Otium morti simile.*

Otia mors hominum; spirantis et esse sepulcrum  
Arbitror indocti, Canisiane, viri.

## C C L X X V.

*Improborum prosperitas, signum ruinæ.*  
 Desine mirari, æternæ sunt signa ruinæ,  
 Prospera cum videas tot geminata malis.

## C C L X X V I.

*In ingratum.*

Reddiderit quisquis parvas sine fenore grates,  
 Convincam ingratum, Canisiane, virum.

## C C L X X V I I.

*Poetæ multa lectione est opus.*

Instar apis debes variis excerpere libris,  
 Mellifluo ut scateat dulcis ab ore liquor.

## C C L X X V I I I.

*Se quisque judicet, deinde alios.*

Te perpende prius, nec det tibi purpura fastum:  
 Ut tibi, sic aliis arbiter æquus eris.

## C C L X X I X.

*Virtutis principium asperum, finis vero  
 amœnus.*

Est opus incepto; finis virtutis amœnus,  
 Principiis quamvis aspera prima via est.

## C C L X X X.

*Voluptas, juvenum et senum pestis.*

Vis fieri felix? est debellanda voluptas:  
 Hæc juvenum exitium est, pestis et illa senum.

## C C L X X X I.

*Jactantia omnibus invisæ.*

Omnibus invisæ est stolidæ jactantia mentis;  
 Dum de te loqueris, gloria tua nulla est.

## C C L X X X I I.

*Nihil supra vires tentandum.*

Quæ fieri nequeunt, prorsus tentare recuses;  
 Ingenii debes pondus habere tui.

## C C L X X X I I I.

*Sapiens futura prospicit.*

Prævidet e speculo sapiens quæcumque futura;  
 Assuetusque malis, nil novitatis habet.

## C C L X X X I V.

*Necessitati cedendum.*

Nil facit invitus sapiens: exire recusas?  
 Quod vitare nequis, velle necesse tibi est.

## C C L X X X V.

*Vestis virum non facit.*

Si toga crassa mihi est, spernor; si trita lacerna est:  
 Num facit egregios purpura picta viros?

## C C L X X X V I.

*Non vestibus sed virtuti deferendum.*

Si modo me spernis, mutata veste redibo;  
 Quod mihi non dederis, vestibus ipse dabis.

## C C L X X X V I I.

*Stultum est ex habitu judicare.*

Oblatrant tritis catuli plerumque lacernis:  
 Ne latres, nobis vestis habenda nova est.

## C C L X X X V I I I.

*Aliena carpere, nihil agentem minime decet.*

Nullius ingenii tamquam sint disticha, carpis:  
 Tu nil cum scribas, quale tibi ingenium est?



C C L X X X I X.

*Idem.*

Sectantem patrias artes et inutile carmen

Me carpis : tu quid desidiosus agis?

C C X C.

*Corpori servire, nefas.*

Cum sit missa tibi mens alto libera caelo,

Num vis mancipium corporis esse tui?

C C X C I.

*Adulatorem sedulo fuge.*

Qui te plus solito demulcet carmine blando,

Te capere insidiis nititur ille suis.

C C X C I I.

*Criminis contagia vitanda.*

Ceu colubrum fugias blandæ contagia culpæ :

Quis non foedatur, si pice tactus erit?

C C X C I I I.

*Emere malo, quam rogare.*

Quod precibus vendis, pretium tibi vile videtur :

An mihi res emitur carior ulla prece?

C C X C I V.

*Meum et tuum, omnium malorum causa.*

Si duo de nostris tollas pronomina rebus,

Prælia cessarent, pax sine lite foret.

C C X C V.

*Qui seminat discordiam, ærumnam metet.*

Qui mala vipereis jactabit semina sulcis,

Martis et ærumnæ tristia grana metet.

C C X C V I.

*De morbo suo.*

Mutavit stomachum diri violentia morbi :  
Hei! timeo faciet quid mihi sæva lues.

C C X C V I I.

*Nec docere pigeat, nec discere pudeat.*

Quæ nosti impertire libens, facilisque roganti  
Esto; quæ nescis, discere ne pudeat.

C C X C V I I I.

*Cui quærantur opes, videndum.*

Cur tibi divitias cumulas? cur congeris aurum?  
Hostibus an nescis hæc cumulare tuis?

C C X C I X.

*Turba satellitum, exitiosa.*

Cur miser incedis numeroso milite septus?  
Quæ mala custodes tot peperere tibi!

C C C.

*Qui alios reprehendit, se ipsum castiget.*

Cum fueris censor, primum te crimine purges,  
Ne tua te damnent facta nefanda reum.

C C C I.

*Non decet, aliena curantem, propria negligere.*

Ne tua contemnas, aliena negotia curans :  
An tibi te quisquam junctior esse potest?

C C C I I.

*Amico sic prosis, ut tibi non obsis.*

Esto memor caro semper prodesse sodali  
Sic, tibi ne noceat præstita sedulitas. 12

## C C C I I I.

*Rebus suis prudenter utendum est.*

Sic utare tuis egeas ne rebus amici :  
Sarcina namque humeris tota ferenda tuis.

## C C C I V.

*Veri amici, rarissimi.*

Millibus ex multis unus vix fidus amicus :  
Hic albo corvo rarior esse solet.

## C C C V.

*Avaritia furori proxima.*

Quærere divitias, et semper egere, furoris  
Est summi, ut partas destruat alter opes.

## C C C V I.

*Reges æqualem ægre ferunt.*

Non capit una duos majestas regia fratres ;  
Fraterno rubuit sanguine Roma recens.

## C C C V I I.

*Tyranni vita, miserrima.*

Quid quæris? si nota foret tibi vita tyranni,  
Privatus malles sedibus esse tuis.

## C C C V I I I.

*Privatus quisque tyranno felicior.*

Imperium posuit tunc vero nomine Felix,  
Nam prius injustus Sylla tyrannus erat.

## C C C I X.

*Festinatio et ira consilio adversantur.*

Consilium præceps sequitur plerumque ruina,  
Ira quoque est valde noxia consilio.

C C C X.

*Victus semper sit modestus.*

Sit facilis victus, nullo irritante saporem ;  
Sed stomachum et gustum mordeat ipsa fames.

C C C X I.

*Mundities in paupertate laudabilis.*

\* Si pauper fueris, sit parcimonia munda :  
Nec neglecta tibi simplicitas fuerit.

\* Alia in editione :

Pauper es ? exiguo ac mundo tu vivito cultu.

C C C X I I.

*Parce laudandum, parcius vituperandum.*

Si quem laudaris, parce laudare memento :  
Crimina culpato parcius ipsa tamen.

C C C X I I I.

*Voluptas, dulce malum.*

Luxuria est prædulce malum, quam carpere multi,  
Sed pauci vitare, queunt : pariturque labore  
Virtutis robur ; corrumpant otia mentem.

C C C X I V.

*Petro Ridolpho, Nicolai filio.*

Nil tibi rescripsi, veniam concede, Ridolphe ;  
Hic morbi quintus jam mihi mensis adest.

C C C X V.

*Ad Simonem Canisianum, amicum suum.*

Non me visisti, sexto cum mense laborem :  
Dic, ubi traxisti, Canisiane, moras ?



## C C C X V I.

*Mors turpitudini anteponenda.*

Cur, Petre, virgineum hortaris me ponere florem?  
 Non faciam; vel si hoc certa paranda salus.

## C C C X V I I.

*Castitas, vita potior.*

Promittunt medici coitu mihi, Paule, salutem:  
 Non tanti vitæ sit mihi certa salus.

## C C C X V I I I.

*Ad Musas.*

Quæ mora, Pierides, tenuit? succurrite: morbo  
 Pallida lethifero vix tegit ossa cutis.

## C C C X I X.

*Ad Calliopeam.*

Hic mihi jam sextus mensis post mille labores:  
 Affer opem vati, Calliopea, tuo.

## C C C X X.

*Ad Apollinem.*

Pulcher Apollo, veni, deferque salutifer herbas:  
 Tam cito si moriar, crimen, Apollo, tuum est.

## C C C X X I.

*Non quis loquatur, sed quid, spectandum.*

Ne te dicentis moveat reverentia; sed, quid  
 Dixerit, attendas qua ratione probet.

## C C C X X I I.

*Vitia et non homines carpendi.*

Parcere nominibus nostri didicere libelli:  
 Crimina, non homines, nostra Thalia premit.

C C C X X I I I.

*Nullius nomen lædendum.*

Religio Christi personis parcere jussit :  
Unde meo nullus carmine læsus erit.

C C C X X I V.

*Noh quot, sed quæ carmina scribas.*

Una bis centum componis carmina nocte ;  
Ah ! nescis scombris carmina quanta facis.

C C C X X V.

*Consulas priusquam facias.*

Nil temere incipias, sed primum consule : cœpti  
Nam multos sero pœnituisse liquet.

C C C X X V I.

*Mulierem decet verecundia.*

Improba, quid rides? verecundia mater honesti est :  
Frena pudor turpis criminis esse solet.

C C C X X V I I.

*Regnare est periculosum.*

Si scires quanti plenum diadema pericli est,  
Malles sisyphii ponderis esse reum.

---

## ANGELUS POLITIANUS

IN FUNUS MICHAELIS VERINI.

VERINUS Michael florentibus occidit annis :  
Moribus ambiguum major, an ingenio.  
Disticha composuit docto miranda parenti,  
Quæ claudunt gyro grandia sensa brevi.  
Sola Venus poterat lento succurrere morbo ;  
Ne se pollueret, maluit ille mori.  
Hic jacet, heu ! patri dolor, et decus ; inde juvenus  
Exemplum, vates materiam capiant.

ALIUD EPITAPHIUM A NICOLAO  
SERATICO.

Ante diem raptum questa est elegia Tibullum,  
Proximus accedit pro Michaelae dolor.  
Amplius in puero mores mirabere, lector,  
Disticha qui sancto digna Catone leges.  
Contigit impubi, seris quod provenit annis,  
Judicium, gravitas, candida vita, sophos.  
Sic juvenis Michael superavit Nestoris annos :  
Vitam etenim virtus, non mora longa, parit.

ALIUD, AUTORE BERNARDO MICHELOTIO.

Ne fle, vivo ; fruor tandem, pater optime, veris  
Deliciis, cœlo, posteritate, Deo.

## ALIUD, AB ANTONIO GERALDINO.

Regia pyramidum cedant monumenta, viator,  
 Huic lapidi, quamquam marmora nulla vides.  
 Verinus Michael, decus immortale pudoris,  
 Clauditur hoc saxo : siste parumper iter.  
 Quod latet ingenii sidus ! quæ gloria Phœbi !  
 Delicias urbis quam brevis uma capit !  
 Disticha composuit gravibus distincta figuris,  
 Quæ possis sacris æquiparare libris.  
 Est brevis, argutus, facilis, sine felle, pudicus :  
 Littera plus nervi quam sua carnis habet.

ALIUD, AB HIERONYMO QUODAM  
EDITUM.

Hic situs est Michael sexta trieteride raptus,  
 Unica dociloqui spes et imago patris.  
 Moribus, in dubio est, fuerit vel carmine major;  
 Fama pudicitæ, Pieridumque decus.  
 Judicium, probitas, studium, solertia, non te  
 Asserit impubem, sed probat esse senem.

MARTINUS IVARRA, CANTABRICUS,  
IN LAUDEM MICHAELIS VERINI.

Ille ego Verinus, Phœbi nova fama, Michael,  
 Quem, Verona, velis, quem, puto, Thera, tuum.  
 Ter senos Lachesi rapior puer altus in annos,  
 Dum Veneris fugio, quam mala ferret, opem :



Sic pedibus magnum Christi pulsamus olympum;  
Et me Vesta frequens Hippolytusque legunt.

BERNAEDUS VILLAPLANA, TARRACONENSIS,  
AQUITANICAM JUVENTUTEM AD LEGENDUM VERINUM HORTATUR.

Disce, precor, sanctos, florens Aquitania, mores:  
Disce, quibus felix ibis ad astra senex:

Perlege Verinum divina mente poetam;

Perlege, si certam per velis ire viam.

Quidquid Aristoteles docuit, Socratesque, Platoque,

Hoc unus gyro colligit ille brevi.

Qui cum mendosus nulla non parte jaceret,

Totus Sparroni sedulitate nitet.

SPARRONUS DE MICHAELE VERINO.

Disces parthenium, pura sed mente, poetam:

Est morum et vitæ regula fonsque piæ.

JOACHIMI CAMERARII  
S E N T E N T I A E  
ENARIIS VERSIBUS EXPLICATAE.

---

DE JOACHIMO CAMERARIO

ET ILLIUS SCRIPTIS.

JOACHIMUS CAMERARIUS, cujus sententias versibus senariis expressas publicanis ibi conjunctas exhibeo, non tantum Papebergæ urbis patriæ suæ, sed et totius Germaniæ decus et ornamentum fuit. Græcis latinisque litteris doctissimus, auctores permultos non sine magna studiosorum utilitate edidit, innumeraque opuscula scripsit. A principibus ob doctrinam sæpius accersitus, studium divitiis semper antetulit, et usque ad ultimum vitæ diem prioris ævi simplicitatem sedulo retinuit.

Studia numquam remittens, quæ vel inter vias, vel de nocte animo concepisset, deinde calamo annotabat; Herodotum, Demosthenem, Xenophontem, Euclidem, Homerum, Theocritum, Sophoclem, Lucianum, Theodoretum, Nicephorum, et Gregorium Nyssenum, latine loqui docuit: catalogum episcoporum in præcipuis eccle-

siis, græcas epistolas selectiores Tubingæ anno 1540 excusas, elegias, epigrammata græca veterum poetarum, magnumque Phavorini lexicon edidit: Plautum, Ciceronisque opera quædam doctissime commentatus est; Philippique Melanchthonis et Eobani Hessi, quibuscum amicitia junctus fuit, vitas scripsit, multaque alia quorum catalogum Niceronius accurate confecit.

Natus anno 1500, die 12 aprilis, anno 1574, die 17 ejusdem mensis, e vivis excessit; paucisque ante mortem diebus hos tamquam cygnæos versus manu jam debilissima exaravit:

Morte nihil tempeſtiva eſſe optatius aiunt:

Sed tempeſtivam quis putat eſſe ſuam?

Qui putat, ille ſapit: namque ut fatalia vitæ

Sic et quiſque ſuæ tempora mortis habet.

Corporis ſpecies fuit ei egregia, viresque equeſtri ſemper ſtudit exercitio conſervare. Gravis ſine triſtitia, liberis etiam erat monosyllabus. A mendacio tantum aberat, ut ne jocolum quidem mendacium ferre poſſet.

Linguam gallicam et italicam jam ſenex



attigit, et hebraicam etiam degustavit. In græca peritissimus, in latina vero cessit nemini, quod ex istis sententiis, filiorum suorum cura, anno 1583, Francofurti primum evulgatis, lector facillime compertum habebit.

---

JOACHIMI CAMERARII  
SENTENTIAE,  
VERSIBUS SENARIIS.

Ad altiora ab arduis fiunt gradus.  
Ad corrigendum prava, regula est opus.  
Ad dignitatis culmen est præceps via.  
Admitte consilium bonum, quicumque det.  
Adversa non optanda, sed ferenda sunt.  
Ad unam originem omnium recidit genus.  
Ad vitia proclives magis cuncti sumus.  
Ætas senum descendit, et subito cadit.  
Aliquando vincit pertinax bonitas malos.  
Amant bonum homines principem, malum timent.  
Animi pusilli est, ipse qui placet sibi.  
Animum labor generosum alendo roborat.  
Assuesce veram audire simul et dicere.

Beneficii turpissima est oblivio.  
Beneficium est prodesse nolenti quoque.  
Beneficium non exigit datum bonus.  
Beneficium præstatur animo non statu.  
Beneficus id quod alteri dedit ipse habet.  
Bene tardius, nolentis instar est, volens.  
Bono est viro unus instar omnium dies.

Calumniator inter homines est lupo.  
 Cavenda nimia semper est contentio ;  
 Lacessere superiorem enim dementia est ;  
 Aneps parem res ; humiliorem , sordida.  
 Communis est fortuna , miserum ne premas.  
 Consueta fiunt sæpe naturalia.  
 Crescit facilius dignitas , quam nascitur.  
 Culpans vitia primum bonus culpatur sua.  
 Curatio nulla est salutaris , gravis.

Damnat libenter ille qui damnat cito.  
 Dari bonum quod potuit , auferri potest.  
 Deformis et mala res ineptus risus est.  
 Desiderare perditum , dementia est.  
 Det alteri veniam , dari qui vult sibi.  
 Deterrimum est amissus in vitii pudor.  
 De turpibus bene rebus haud poteris loqui.  
 Diversa sunt hæc , otium atque ignavia.  
 Duo , mens valetudoque bona , homini sunt bona.

Egregia multa facta in obscuro jacent.  
 Est consulendi magna pars in tempore.  
 Est contumax plerumque in afflictis dolor.  
 Est indecorum in seria re ludere.  
 Est temperandus , non adaugendus dolor.  
 Excludere malum est , quam regere consultius.  
 Ex divite facit sæpe pauperem inertia.

Fatuum volens ridere, seipsum rideat.  
Felicitatem ingentem animus ingens decet.  
Fere timendis incutitur ipsis timor.  
Fidele consilium dare timor haud solet.  
Firmum nihil adeo est, ut interitu vacet.  
Frustra timetur quod necesse est perpeti.

Gladius ferit corpus, animos oratio.

Humana sunt caduca, brevique omnia.

Immodica gignit ira sæpe insaniam.  
Impensa nulla est carior quam temporis.  
Industrio ignavum otium pœna est viro.  
Ingentis iræ est exitus certus furor.  
Injuriae doctrina sunt patientiae.  
Injuria ipsa pœna maxima est sibi.  
Injuria vir innocens non læditur.  
In purpura atque auro implicatur servitus.  
In quo cupiditas regnat, ille servus est.  
In quo ultimum est, rerum omnium est longum nihil.  
In rebus hominum morte certius est nihil.  
Interdum honesti nomine vitium subit.  
In terra imago viva rex bonus est Dei.  
Inventa non sunt cuncta: adhuc studio est opus.  
Ira in furorem, in exitium adigit furor.  
Iram, brevem dixere quidam insaniam.



Judex malos damnando non odit bonus.  
Jus gentium, quod debeas, reddi jubet.

Magni viri est injurias contemnere.  
Mala pro bonis dementia est assumere.  
Materia sæpe bona est, sed artifex malus.  
Maximus opum non indigere fructus est.  
Medicina, cum facit dolorem, proficit.  
Memore est animo gratoque honestius nihil.  
Mendacium est tenue, dilucet undique.  
Mens corporis majore mole eliditur.  
Morem exprimit populus suorum principum.  
Mors sequitur omnes, vita sicuti fugit.  
Mortalibus parata est mors omnibus.  
Mortalium deffere mortem, amentia est.

Natura quod desiderat, parabile est.  
Natura si repugnat, irritus est labor.  
Nescire aliqua quam scire sæpe melius est.  
Nil ad deum pejus hominesque superbia est.  
Nil carius quam precibus emptum acquiritur.  
Nil melius est virtute, et hæc pretium est sui.  
Nimium quod est, utique vitiosum et malum est.  
Nisi pauca serves, interibunt plurima.  
Nocet aliquando vindicare injuriam.  
Non actio laudem meretur, sed modus.  
Non efficit doctos librorum copia.  
Non eripit fortuna quod non contulit.

Non esse partum , ægre est minus quam perditum.  
Non est ab infami timenda infamia.  
Non est malum mori , mori sed turpiter.  
Non habet avarus , non habebit prodigus.  
Non pauca habens , sed plura cupiens , pauper est.  
Non quid feras , sed quomodo quidquam , interest.  
Non quod opus est , sed quod necesse est , hoc emas.  
Non vivere est , sed vivere bene , homini bonum.  
Non ut diu , refert , sed ut vivas bene.  
Non vult negans peccare sese corrigi.  
Notitia peccati est salutis initium.  
Nulla est futuri certa præscientia.  
Numquam est satis spei improbæ quidquid datur.  
Numquam lucrum expers turpe damni est et mali.

Obediens recte monenti , proximus.  
Occæcat animos affluens felicitas.  
Omittere studia , idem est et intermittere.  
Omne est acerbum quod facit funus parens.  
Oratio expedita veritatis est.  
Oratio fere atque vita congruunt.  
Ornata forma mente præclara eminent.

Pandit fores secreta conscientia.  
Patitur mali , qui non sibi applicat , nihil.  
Patrium est cuique , ubi bene vivitur , solum.  
Peccantium peccare poena maxima est.  
Pecunia in quosdam , in latinam ut æs , cadit.

Pejora sunt fere , placent quæ pluribus.  
 Placido atque miti principi constat fides.  
 Potest latere nocens , sine metu esse haud potest.  
 Præsens adempti vile fit cupidine.  
 Præsentibus sapientia est frui bonis.  
 Prævæ est cupidinis sitis inexplebilis.  
 Pretium ciborum facit et auget raritas.  
 Princeps bonus diligitur , oderunt malum.  
 Probat ignis aurum ; calamitas fortes viros.  
 Prodest fore id putare quod fieri potest.  
 Pro exemplo ubi vitium est , status rerum est malus.  
 Prope est , modum superans iniqua ut pœna sit.  
 Protulit alia tempus , et alia dehinc proferet.

Quædam decet didicisse , non jam discere.  
 Quæ dicis aliis , dic tibi , ipse ut audias.  
 Quæ sors tulerit , ea fortiter ferre est viri.  
 Quæ sunt necessaria , superflua ne putes.  
 Quem quisque agit , cum morte dividit diem.  
 Quidam ante vivere desinunt quam inceperant.  
 Quid ebrietas est ? sponte contractus furor.  
 Qui diviti dat pauper , ille dans petit.  
 Quod non dedit fortuna , rapere non potest.  
 Quod postulat natura , ad id quoque sufficit.  
 Quod quisque carum habet , id sibi eripi dolet.  
 Quod sæpe consilium nequit dare , dat dies.  
 Quod vivitur multum est , ubi est vitæ satis.  
 Quo non opus , carum , asse si merceris , est.



Quo plura habet cupidus , eo plura appetit.  
Quotidianum homini ab homine periculum est.  
Quotidie ad mortem propius acceditur.

Rari ostio patente possunt vivere.  
Rebus ruina impendet omnibus arduis.  
Recte facere speciosius quam dicere est.  
Rectum est loqui et tacere , tempore ac loco.  
Regum eximius ornatus est clementia.  
Remedia non prosunt , nisi accedat mora.  
Rerum bonarum sollicita expectatio est.  
Rerum malarum infestus admodum metus.  
Res sordida est tritæ ingredi vitæ viam.  
Res universas inchoans , finem aspice.

Sapientia est regina , vitæ servit ars.  
Sat dives est quem pauperem esse non piget.  
Satis est parum naturæ , aviditati nihil.  
Sceleris in ipso scelere supplicium est sui.  
Scelus voluntas , non patratio perficit.  
Seipsum regens est semper animus optimus.  
Semper pusillum est , maximo quod est minus.  
Senile votum annos petit paucos sibi.  
Sententiam re incognita feras cave.  
Sentire hominis adversa , perpeti est viri.  
Sentire turpe est aliud , et aliud loqui.  
Sic omnia facito , atque si spectet aliquis.  
Signum in adolescente est verecundia bonum.



Simplex honesti, multiplex vitii, est via.  
Singuli aliquid de viribus demunt dies.  
Spes falsa dignitatis insolentia est.  
Stulti execrantur miserias, et appetunt.  
Stultitia pacatum et quietum habet nihil.  
Stultum est alicui, accipere quod nequit dare.  
Suadere solitudo multa solet mala.  
Sua quisque maxima esse judicat mala.  
Sublime quidquid est, id est præceps quoque.  
Succedat ut tandem, experire sæpius.  
Supplicium in ipsa scelera maximum cadit.

Tam discere est diu rectum, quam nescias.  
Tam nemo pauper vivit atque natus est.  
Teipsum verere non minus quam ceteros.  
Terrena quem capiunt, animus angustus est.  
Tranquillitate optabilius homini est nihil.  
Tunc judices alios, eris quando innocens.  
Turpe est senescentem incipere jam vivere.

Ubique præsto est, omnia et videt Deus.  
Ubique res est fructuosa nosse se.

Velle atque nolle aliquando idem sapientia est.  
Velle fieri, est pars magna bonitatis, bonum.  
Vere est miser, culpa est sua quisquis miser.  
Versare cum iis qui facere meliorem queunt.  
Viatico eruditio senectam instruit.

Virtus pati non est, dolore quod vacat.  
Victum pares, sed artibus numquam malis.  
Virtutis arma ubique sunt fortissima.  
Vitæ bonæ justæque finis est bonus.  
Vita inchoare spem brevis longam vetat.  
Vitanda sunt odium, invidia, contentio.  
Vitia et mala in stulto simul sunt omnia.  
Vitii est nihil contagione nocentius.  
Vitium est utrumque et nulli et omni credere.  
Vivi sepultura otium est ignaviæ.  
Vulgo ille displicet cui virtus placet.

Est ista summa, Deum pie imprimis cole,  
Servaque mandata illius pro viribus,  
Permitte et ipsi cuncta: in hoc sunt omnia.

## SEPTENARIAE SENTENTIAE.

Cautus est audace ubique melior, et magis utilis.  
Cum bonis bonus futurus est, malusque cum malis.  
Cuncta studio diligentiaque perfici solent.  
Discitur numquam nimis quod discitur numquam satis.  
Expetas bonum, metuas malum, feras quod sors feret.  
Hæc quies est paxque permittere Deo sua omnia.  
Inter impares amicitia esse firma non solet.  
Juvenum aberrat, in furorem luxuria ruit senum.  
Languor impedire nullus officium et debet fidem.  
Liberat fortuna quosdam fane, nēminem metu.

Maximam partem veneni flagitium bibit sui.  
Maximum est vacare culpa in miseria solatium.  
Maximum in malis solamen conscientia est bona.  
Mitigat graves dolores temporis longinquitas.  
Multa novisse speciosa vanitas est ingenii.  
Omnis est fucata regum præpotens felicitas.  
Prosperis cor rebus errat, in malis sapimus magis.  
Qualis est fortuna, talis esse animus hominum solet.  
Quod tibi fieri non vis id et alteri ne feceris.  
Rebus in dubiis laborantem adjuvans, amicus est.  
Rebus in miseris amicitiae eminet fidelitas.  
Vir bonus licere solum censet illud quod decet.  
Vivere insanabili in morbo diutius est mori.  
Vulgus imprimis malum est, cum præsides habet malos.



---

## M O N O S T I C H A

### D E M O R I E U S .

U T I L I B U S monitis prudens accommodet aurem.  
Non læta extollant animum , non tristia frangent.  
Dispar vivendi ratio est mors omnibus una.  
Grande aliquid caveas timido committere cordi.  
Numquam sanantur deformis vulnera famæ.  
Naufragium rerum est mulier malefida marito.  
Tu , si animo regeris , rex es ; si corpore , servus.  
Proximus esto bonis , si non potes optimus esse.  
Nullus tam parcus , quin prodigus ex alieno.  
Audit quod non vult , qui pergit dicere quod vult.  
Non placet ille mihi quisquis placuit sibi multum.  
Juri servitium defer , si liber haberis.  
Vel bona contemni docet usus , vel mala ferri.  
Ex igne ut fumus , sic fama ex crimine surgit.  
Improbis officium scit poscere , reddere nescit.  
Irridens miserum , dubium sciat omne futurum.  
Mortis imago juvat somnus , mors ipsa timetur.  
Quanto major eris , tanto moderatior esto.  
Alta cadunt odiis , parva extolluntur amore.  
Criminis indultu secure audacia crescit.  
Quemlibet ignavum facit indignatio fortem.  
Divitiæ trepidant , paupertas libera res est.  
Haud homo culpandus , quando est in crimine casus.



Fac quæ te par sit , non alter quod mereatur.  
Dissimilis cunctis est vultus , vita , voluntas.  
Ipsam se cruciat , desæviturque invidus in se.  
Semper pauperies quæstum prædivitis auget.  
Magno conficitur discrimine res memoranda.  
Terra omnis patria est , qua nascimur et tumulamur.  
Aspera perpessu , fiunt jucunda relatu.  
Acrius appetimus nova , quam jam parta tenemus.  
Labitur ex animo benefactum , injuria durat.  
Tolle mali testes , levius mala nostra feremus.  
Sperne lucrum : versat mentes vesana libido.  
Fraude carete , graves : ignari , cedite doctis.  
Lusuri nummos , animos quoque ponere debent.  
Irasci victos minime placet , optime frater.  
Ludite securi quibus æs est semper in arca.  
Si quis habens nummos venies , exhibis inanis.  
Lusori cupido semper gravis exitus instat.  
Sancta probis pax est : irasci desine victus.  
Nullus ubique potest felici ludere dextra.  
Injicio furias , ego sum tribus addita quarta.  
Plecte truces animos ut vere ludere possis.  
Ponite mature bellum , precor , iraque cesset.

## DE VENERE ET VINO.

## BASILII CARMEN.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore;  
 Uno namque modo vina Venusque nocent.  
 Ut Venus enervat vires, sic copia vini,  
 Et tentat gressus, debilitatque pedes.  
 Multos cæcus amor egit secreta fateri:  
 Arcanum demens detegit ebrietas.  
 Bellum sæpe ciet feros exitiale Cupido:  
 Sæpe manus itidem Bacchus ad arma movet.  
 Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello:  
 At Lapithas bello perdis, Iacche, gravi.  
 Denique cum mentes hominum furiavit uterque,  
 Et pudor, et probitas, et metus omnis abest.  
 Compedibus Venerem, vinculis constringe Lyæum;  
 Nec te muneribus lædat uterque suis.  
 Vina sitim sedent; natis Venus alma creandis  
 Serviat: hos fines transiluisse nocet.

## DE VITA TRANQUILLA.

Est mihi rus parvum, fenus sine crimine parvum;  
 Sed facit hæc nobis utraque magna quies.  
 Pacem animus nulla trepidus formidine servans,  
 Non timet ignavæ crimina desidæ.  
 Castra alios operosa vocent, sellæque curules,  
 Et quidquid vana gaudia mente movet;

Pars ego sim plebis nullo conspectus honore,  
Dum vivam dominus temporis ipse mihi.

## I T E M.

Ante rate e siculo discurrant æquore pisces,  
Et deerit libycis putris arena vadis;  
Ante nives calidis demittent fontibus amnes,  
Et Rhodanus nullas in mare ducet aquas;  
Ante mari gemino semper pulsata Corinthos  
Confundet fluctus pervia facta duos;  
Ante feri cervis submittent corda leones,  
Sævaque dediscet prælia torvus aper;  
Medus pila geret, pharetras romana juvenus;  
Fulgebit nitidis India nigra comis;  
Quam mihi displiceat vitæ fortuna quietæ,  
Aut credat dubiis se mea puppis aquis.

## I T E M.

Vive, et amicitias regum fuge: pauca monebas;  
Maximus hic scopulus, non tamen unus erat.  
Vive, et amicitias nimio splendore nitentes,  
Et quidquid colitur perspicuum, fugito.  
Ingentes dominos, et famæ nomina claræ,  
Illustrique graves nobilitate domos  
Devita, et longe vivus cole. Contrahe vela,  
Et te littoribus cymba propinqua vehat,  
In plano tua sit semper fortuna, paresque  
Noveris. Ex alto magna ruina venit.



Non bene cupi parvis junguntur grandia rebus :  
Stantia namque premunt ; præcipitata ruunt.

I T E M.

Vive , et amicitias omnes fuge : verius hoc est  
Quam , regum solas effuge amicitias.  
Est mea mors testis : major me afflixit amicus ,  
Deseruit que minor ; turba cavenda simul.  
Nam quicumque pares fuerant , fugere fragorem ;  
Necdum collapsam deseruere domum.  
Nunc et non reges tantum fuge ; vivere doctus  
Uni vive tibi , nam moriere tibi.

I T E M.

Quod tua mille domus solidas habet alta columnas ,  
Quod tua marmoreo janua poste nitet ,  
Aurea quod summo splendent laquearia tecto ,  
Imum crusta tegit quod preciosa locum ,  
Atria quod circa dives tegit omnia cultus ,  
Nempe animos tollit hoc , malesane , tuos.  
Ædibus in totis gemmæ licet omnia claudant ;  
Turpe est , nil domino turpius esse suo.



## I N D E X.

P. Syri Vita.	3
P. Syri et aliorum sententiæ.	7
— versus trochaici.	37
J. Scaliger in Catonis disticha.	43
D. Catonis distichorum, liber primus.	45
Liber secundus.	57
— tertius.	63
— quartus.	69
Septem græciæ sapientum sententiæ.	79
De viro bono Ausonii edyllium.	82
Michaelis Verini vita.	87
Michaelis Verini disticha.	89
De eodem, diversorum carmina.	138
Joach. Camerarii vita.	143
Joach. Camerarii sententiæ.	147
Monosticha de moribus.	157
De Venere et vino, Basilii carmen	159
De Vita tranquilla.	ibid.